Google

A v. 1418

[illegible]

PROPHETAE MINORES

EX

RECENSIONE

TEXTVS HEBRAEI

ET

VERSIONVM ANTIQVARVM

LATINE VERSI

NOTISQVE PHILOLOGICIS

ET CRITICIS

ILLVSTRATI

A

JOANNE AVGVSTO DATHIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGVAE HEBR.

IN ACAD. LIPSIENSI



EDITIO ALTERA EMENDATIOR

HALAE

SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI

MDCCLXXIX

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

Quanquam lubenter hoc praefandi labore ſuperſederem, quoniam parum jucundum, mihi quidem, videtur, multa de ſe loqui, atque enarrare copioſius, quae ſint iibri, quem in vulgus emittimus, dotes; quas, ſi habet, lector rei gnarus facile deteget, ignarus vel monſtratas non videbit: tamen oneri huic humeros ſubtrahere non poſſum, nec ſine praevia admonitione Lectorem admittere ad lectionem interpretationis, quae a vulgari vertendi ratione

haud parum recedit, et in qua conficienda leges mihi ſcripſi, quas nolim lectores ignorare, quos judices hujus verſionis habere cupiam. Et primo quidem monendum videtur, me non paraphraſin dare voluiſſe, ſed verſionem, quae proprie dicitur, quae nempe verbis prophetarum nihil addat, ſed textus hebraei ſenſum plane reddat. Quae vero nonnunquam verba interſerta ſunt, aliis typis exſcripta, ea quidem in textu hebraeo non leguntur, ſed neceſſario addenda videbantur ad dicta prophetarum intelligenda; ad amplificanda ea non faciunt, ideoque in illis locis paraphraſten egiſſe nemini videbor. In ipſa vertendi ratione ſecutus ſum eam legem, quam optimi quique interpretes dederunt: ſenſum nempe verborum, quae interpretari velimus, reddendum eſſe genio linguae, in quam vertatur, convenienter; non eſſe verſionis homine dignam, quae verbum de verbo reddat, omnesque linguae, ex qua ſit verſio, idiotiſmos in aliam transferat, ut ut ab ea alienos, parumque intelligibiles iis, qui ea lingua utuntur. Sed habet haec ver-

vertendi ratio, ſi in aliis quoque linguis, in lingua hebraea inprimis multas magnasque difficultates. Nam cum omnino gentium orientalium loquendi uſus, ab eo quem occidentales ſequuntur, adeo diverſus ſit, ut non ſolum in verborum delectu, ſed etiam in modo ea jungendi, nimis recedat; difficillimum eſt, ſibi ita cavere, ut neque ſenſui verborum aliquid detrahatur, neque contra latinae linguae genium ſententia enuncietur. Sciunt hoc omnes, qui hujus rei periculum fecerunt; nec opus eſt has difficultates hoc tempore copioſius demonſtrare. Dicam potius, quomodo ego eas ſuperare allaboraverim. Si legem ſupra allatam de recta vertendi ratione, ad hanc vatum hebraeorum verſionem ita transferre voluiſſem, ut eos loquentes facerem, quomodo dixiſſent, ſi inter Latinos nati eſſent et educati: tota orationis ſtructura mutanda fuiſſet. Quod cum fieri non poſſit, quin in plurimis locis pro verſione paraphraſis detur: characterem linguae hebraeae retinendum exiſtimavi, ubi genio

linguae non prorſus adverſaretur. Sed id ipſum eſt judicatu difficillimum, quid ferat lingua latina, quid ſalva perſpicuitate ex dictionibus et phraſibus, ex tropis, et imaginibus poëticis, ex tota dicendi et verborum ſtruendorum ratione Hebraeorum retineri poſſit, vel quando iſta omnia genio latinae linguae ſint accommodanda. In ſtilo quidem hiſtorico Hebraeorum vel morali judicium illud non aeque difficile eſt, ac in ſublimiori illo, qui poëticus plerumque dici ſolet, quo prophetae inprimis utuntur. Nam in hoc non ſolum difficile eſt videre, quae genio linguarum occidentalium non conveniant, ſed etiam invenire modum, quo illud vatum orientalium luxurians ingenium ſedatiori latinae linguae indole moderari debeas. Atque in hoc peccatum eſſe ab elegantiſſimo! caeterum Scripturae ſacrae interprete *Sebaſtiano Caſtellione*, omnes deprehendent, qui ejus verſionem in libris hiſtoricis, moralibus ſive dogmaticis, v. c. in Pſalmis, Proverbiis, et in propheticis, illis inprimis, qui

ſtilo

ſtilo ſublimiori orientali ſcripti ſunt, conferant. In illis quidem Scripturae ſacrae locis adeo eleganter vertit, linguae hebraeae idiotiſmos aliis latinae linguae expreſſit, totamque narrandi et docendi Hebraeorum rationem linguae, in quam vertebat, adeo perite aptavit, ut omnibus omnium temporum interpretibus exemplum quod imitarentur relinqueret. Sed in ſermonibus prophetarum ſtilo ſublimiori ſcriptis, non aeque feliciter verſatus eſt. Sive per ipſius rei difficultatem, ſive per alias, quaecunque illae fuerint, rationes factum ſit, verſio ejus in his Scripturae ſacrae partibus plerumque (nam interdum ſui ſimilis manſit) linguae hebraeae nimis adſtricta eſt; quod nemo negabit, qui eam legat et cum textu hebraeo conferat. Num ego has difficultates felicius ſuperaverim, alii judicent; operam quidem me dediſſe ſcio, ne lectores offenderent in tropis audacioribus, quos ſibi vividum Orientalium ingenium indulget, Occidentalium minus admiratur et approbat; ut di-

cendi formas latinae linguae alienas huic magis redderem conformes, atque ut omnino ſenſum textus hebraei plane et perſpicue redderem, nec verborum hebraeorum tenax lectoribus verba latina darem, quae tam parum quam hebraea intelligerent.

Non alienum videtur exemplis quibusdam docere, quomodo hoc a me factum ſit. Hoſ. I, 2. verba textus habent: *nam ſcortando ſcortabitur terra poſt Jovam.* Joel II, 14. IV, 16. Amos I, 2. *rugiet Jova ex Sione.* Amos IV, 1. *Audite verbum hoc, vaccae Baſanis!* Quis ferat ejusmodi verſionem? quis intelligat eam? aut cui placeant tropi, quos occidentalium linguarum ἀκρίβεια prorſus repudiat? In his igitur et ſimilibus, quorum permulta exempla extant, tropum cum alio minus duro mutavi, ſi fieri potuit, ut in primo et ſecundo exemplo; ſi non ſuppetebat alius tropus hebraeo ſimilis, verbis propriis uſus ſum, uti in tertio ex Amoſo exemplo allato.

Dicet

Dicet aliquis, haec eſt paraphraſis, non verſio. Mihi quidem non ita videtur, cum nihil addiderim ideae, quam ſcriptor ſacer verbis indicavit. In eo enim paraphraſin a verſione differre, Grammatici praecipiunt. Mutatio igitur tropi, vel cum alio, vel cum propria dictione, ſi modo ſententia aliis notionibus, quae in illo tropo non ſunt, non amplificatur, paraphraſis non poteſt haberi. Munus interpretis docet cum neceſſitatem eiusmodi mutationis, tum conditiones ponit, ſub quibus ea locum habet. Etenim cum interpretis ſit efficere, ut alter idem cogitet, quod ſcriptor verbis a ſe adhibitis indicat, minus profecto ſatisfaceret muneri ſuo interpres, ſi verba in verſione poneret, quae lector non intelligeret; quod ſemper eveniet, ſi tropos aut dicendi formas ei linguae, in quam vertit, non uſitatas ex altera, ex qua fit verſio, transfert. Quoties igitur ejusmodi obſcuritas lectori ex verbis non intelligendis veniret, toties alia plana et perſpicua ſunt

ſubſtituenda. Sed nemo non videt, in eo ipſo ſummam eſſe difficultatem, ut interpres recte dijudicet, quando obſcuritas illa ex *verbis*, quando ex *rebus* veniat. Si illud eſt, locum habet mutatio illa verborum, de qua diximus; ſi hoc, verba ſunt retinenda, non aliis aut pluribus explicanda. Illud eſt verſionis, hoc paraphraſeos, ſive commentarii. Exemplum diſcriminis hujus, quod ſtatuo, exſtat Hoſ. II, 17. ubi *vallis Achor* tropice a propheta dicitur. Quem tropum retinui, quoniam obſcuritas ejus, ſi qua ineſt, lectoribus non ex lingua venit, ſed ex hiſtoriae ignoratione. Eadem vero iſta vallis ibidem vocatur *oſtium ſpei*; hunc tropum, cujus obſcuritas tantum ex lingua repetenda eſt, cum aliis clarioribus putavi permutandum. Nemo mihi objiciat exemplum ſupra ex Amoſi Capite IV, 1. allatum: *audite vaccae Baſanis*; ubi tropus non ex uſu linguae, ſed ex hiſtoria regionis naturali explicandus videtur, quod igitur ex regula poſita non in verſione, ſed in commen-

mentario fieri debebat. Nam id, quod duriuſculum dictum videatur in latina lingua, non tam eſt in tropo, quo homines potentes et inſolentes cum vaccis ſive tauris Baſanis comparantur, quam in objecto, ad quod propheta ſermonem convertit. Igitur inſolitum, quod aures latinas offendat, ex liberiori uſu troporum venit, quem orientales ſcriptores ſibi indulgent, de quo in notis paſſim dictum eſt. Ad has regulas velim judicent lectores verſionem dictionum tropicarum. Num eas viri docti atque periti hujus rei judices probent, experiar; mihi quidem probabiles atque in ipſis legitimae interpretationis legibus ſuum viſae ſunt habere fundamentum.

Porro Hebraiſmum inprimis ſaepe obvium, quo nomen ipſum, e. g. Jovae, pro pronomine primae perſonae ponitur, plerumque mutavi, atque verbis in ea perſona uſus ſum, quae ex contextu intelligenda erat, niſi diverſae perſonae ſub

ſub ipſo illo nomine indicatae eſſent, ut Zachar. II. et III. — — Temporum praeterea apud Hebraeos, praeteriti et futuri, uſus eſt ſaepe admodum laxus. Non raro tempus continuum, praeſens, praeteritum et futurum includunt, ſignificatione ex contextu tantum determinanda, ut in illo Hoſeae loco ſupra citato, ubi futurum תִּזְנֶה *Caſtellio* non ſatis accurate vertit *meretricabitur.* Nam non reprehendit Deus vitium aliquando ab Iſraëlitis committendum, ſed id, cui jam antea et adhucdum maxime dediti erant. Num ſemper recte attenderim ad illum temporum uſum, lectorum ſit judicium — — Tandem perſonarum mutationes creberrimas et ſubitaneas, qua ſermo nonnunquam in uno commate a ſecunda perſona ad tertiam tranſit, non ſemper attendi, ſed ſaepe orationis contextum continuavi in ea perſona, in qua incepit, ut juvarem lectores in ſenſu intelligendo, qui per illas mutationes nonnunquam impeditior redditur. Fieri enim

illud

illud poteſt ſalva ſententiae integritate. Haec de verſione.

Veniamus ad notas, quas duplicis generis addidi. Aliae quidem philologicae ſunt, aliae criticae. Illas verſioni ſubjeci, has in fine in uno quaſi faſciculo collegi, indicatis tamen in verſione locis, ad quae ſingulae pertinent, appoſito ſtellulae (*) ſigno. De utriſque nonnulla ſunt dicenda. In *notis philologicis* hoc egi, ut vel res explicarem, vel rationem redderem verſionis meae, quando ea a vulgari interpretatione recedit. Utrumque tamen non factum eſt, niſi in iis locis, in quibus lectores, qui verſionem cum textu hebraeo conferre velint, fortaſſe haereant. Longe plures hujus generis annotationes addere potuiſſem, et fortaſſe etiam erunt, quibus videar hoc facere debuiſſe. Sed nolui ſcribere commentarium. Linguae periti ex ipſa verſione plerumque intelligent, quam praeferendam putem verborum explicationem. Propterea ſelectas tan-

tantum annotationes addere placuit, et malui reprehendi, quod non plures addiderim, quam quod nimis multas. Uſus ſum optimis commentatoribus, cum antiquioribus, tum recentioribus. Sed nominare ſingulos, quos vel ſecutus ſim, vel a quibus diſceſſerim, vanae oſtentationis fuiſſet. Laudavi tamen ſubinde viros doctos, recentiorum inprimis temporum, quorum annotata mihi uſui fuerunt, ne mihimet ipſe tribuere videar, quae debeam aliis.

Ut *criticas notas* adderem, neceſſarium fuit, quod verſionem non ſolum ex recenſione textus hebraei impreſſi compoſui, ſed etiam ex ea, quam verſiones antiquae exhibent. Etenim libere profiteor, me illis aſſentiri, qui receptam textus hebraei lectionem non in omnibus veram et genuinam ſtatuunt. Nihil dicam pro hac ſententia defendenda. Ita enim probata eſt a viris doctis, et collatione codicum extra omnem dubitationem poſita, ut ne con-

contradicere quidem aperte audeant, qui Judaica ſuperſtitione adhuc infecti criſin, omnibus libris profanis, atque adeo divinis Novi Teſtamenti, cum fructu adhibitam, libris ſacris Veteris Teſtamenti minus neceſſariam, inutilem et tantum non periculoſam ſtatuant. Igitur his miſſis, exponam tantum viris doctis, iſtis praeconceptis opinionibus non faſcinatis, quoad antiquas verſiones in conſtituenda textus hebraei lectione ſecutus ſim. Nempe prima mihi ſemper cura fuit, ut textum hebraeum explicarem. Qui, ſi interpretationem admitteret ab uſu loquendi et grammaticae praeceptis non abhorrentem, de alia lectione, quae forte ex verſionibus peti poſſet, non putavi eſſe cogitandum. Nam ſine neceſſitate illa textum mutare ex *verſionibus*, quae ſemper tantum ſecundum locum in ſubſidiis criticis obtinent, modeſti Critici non eſſe didici. Sed ſi textus receptae lectionis nullam pateretur interpretationem probabilem, alius lectionis teſtes et primo quidem Codices hebraeos

braeos MStos, ſi qui ſuppetebant auxilium afferentes, deinde antiquos interpretes audiendos putavi. Atque in his nulli praerogativam quandam conceſſi. Omnes eadem fide digni videri debent, quorum quidem verſiones conſtat ex textu hebraeo factas eſſe. Sunt vero hi, LXX interpretes, Chaldaeus, Syrus, Aquila, Symmachus, Theodotio et Vulgatus. Arabicam verſionem e graeca factam eſſe conſtat; hujus igitur, ſi de lectione textus hebraei quaeritur, nullus eſſe uſus poteſt. *Conjecturas* non niſi in duobus locis, ſi recte memini, admiſi, nempe Hoſ. VIII, 5. 6. et Nahum. II, 14. Fateor enim hanc Criticae emendatricis partem mihi quidem in libris Veteris Teſtamenti videri majoribus difficultatibus et pluribus premi, quam in aliis; de quo vero hoc tempore dicere nihil attinet, cum jam alibi factum ſit. Propterea, ſi in antiquis verſionibus nullam lectionem deprehendebam, quae veri ſpeciem haberet, me non puduit ignorantiam fateri, v. c. Hoſ. X, 7. Habac. III,

III, 14. 15. cum non ſine pudore lectoribus conjecturas ex ingenio meo qualicunque ortas attuliſſem. At in verſuum diſtinctionibus mutandis paullo majorem mihi conceſſi libertatem, v. c. Hoſ. X, 10. 14. XIV, 9. Zach. IV, 10. IX, 13. cum ab omnibus interpretibus etiam in aliis libris abunde probatum ſit, eas non raro parum accurate factas eſſe.

Omnium iſtarum mutationum, quibus a recepta textus lectione diſceſſi, in notis criticis rationem reddidi. Sed cum earum conſcribendarum neceſſitas mihi per legem, ſecundum quam verſionem compoſui, impoſita eſſet: nemo mirabitur, me nihil de diſſenſu verſionum in aliis locis dixiſſe. Non deferendam puto, uti antea jam faſſus ſum, receptam textus lectionem, quae admittit interpretationem Grammaticae non contrariam, propter lectionem faciliorem verſionis. Quodſi Codices hebraei aliam indicant, tunc ea ſecundum criticas regulas dijudicanda eſt,

quod etiam a me factum eſt Zach. XII, 10. Sed in dubium vocare lectionem hebraeam uſui linguae non adverſantem, ſi difficilior videatur, auctoritate unius alteriusve verſionis, religioni mihi duco; atque haud ſcio, an Critici in libris profanis hoc ferant. Caeterum ego quidem non improbem laborem, ſi quis omnes verſionum antiquarum e Codice hebraeo factarum lectiones diverſas colligere velit. Haberet enim, ſi non ad textum ipſum, niſi Codicum hebraeorum auctoritas accedat, tamen ad alias quaeſtiones criticas et philologicas utilitatem non contemnendam. Sed a meo inſtituto plenior et accuratior inductio variarum lectionum ex verſionibus nimis remota atque adeo prorſus aliena fuiſſet. Ne variarum quidem lectionum Codicum hebraeorum, quarum utiliſſimam collectionem dedit S. R. *Lilienthalius*, mentionem putavi faciendam eſſe, niſi ubi illae ſenſum afficerent; ubi leviores eſſent, ad diverſam orthographiam tantum referendae, aut

ex

ex manifeſto ſcribarum errore ortae, ſuperfluum videbatur exſcribere librum, qui omnium harum rerum peritorum manibus teritur.

Supereſt ut hunc laborem meque adeo ipſum Lectori docto et ſacrarum literarum perito commendem. Omnes omnium temporum interpretes faſſi ſunt, prophetas minores difficillimam eſſe partem librorum Veteris Teſtamenti. Sperari igitur non poteſt, ut, qui illorum interpretationem aggrediatur, omnibus difficultatibus ſatisfaciat, aut in iis removendis omnibus lectoribus probetur. Me quidem non tam temere ſperare libere profiteor. Lubenter igitur feram atque adeo gratus agnoſcam, ſi, in quo peccatum a me ſit, admonear; aut ſi viri docti ea loca, quorum obſcuritatem ego diſpellere non potui, nova velint luce illuſtrare. Malevolorum vero judicia non curabo, cum mihi conſcius ſim, hoc, quidquid eſt

 la-

laboris, in ſacrarum literarum honorem atque utilitatem a me eſſe ſuſceptum. Scripſi in Acad. Lipſ. Idibus Febr. A. R. S. MDCCLXXIII.

PRAE-

PRAEFATIO

AD HANC NOVAM EDITIONEM

Cum jam denuo typis eſſet exſcribendus hicce libellus, operam dedi ut correctior prodiret et emendatior. Quem in finem non ſolum verſionem cum textu hebraeo contuli, et quae in ea animadverteram aut non ſatis accurate expreſſa, aut legibus bonae verſionis, quas in praefatione mihi ſcripſeram contraria, emendavi:

Digitized by Google

ſed etiam admonitiones virorum doctorum ſive amicas ſive inimicas in uſus meos converti, quoad eas non ſine ratione factas intellexeram. Etenim non ita mea amo, ut me erroris immunem exiſtimem, praeſertim in hujusmodi labore, in quo errare adeo proclive eſt, et in quo vel peritiſſimi linguarum interdum offendunt et labuntur. Hinc factum eſt, ut in Hoſea inprimis multa corrigenda deprehenderem, qui cum per ſe difficillimae eſt interpretationis, tum prae reliquis aliorum caſtigationes fuerat expertus. Nec tamen in aliis quoque deſunt, quae mutanda cenſerem. Canticum v. c. Habacuci in multis putem melius explicatum aut illuſtratum. — Fuerunt, qui reprehenderent criſin in nonnullis locis adhibitam. Metuentes nempe neſcio quid periculi integritati textus hebraei nolunt ejus recenſio-

ſionem a maſorethis curatam neque in literis neque in punctis ullam ſubire mutationem, alia lectione ex codicibus antiquiorum interpretum ſubſtituta. Sed vana iſta perſuaſio de infallibilitate maſoretharum aut ſcribarum Judaeorum adeo plane eſt demonſtrata, et quam inanis ſit timor ille, ſi ex antiquis verſionibus facilior lectio difficiliori praeferatur, adeo evictum, ut de his hoc loco dicere minime neceſſarium videatur. Igitur qui lectiones ex antiquis interpretibus lectioni textus hebraei a me ſubſtitutas improbarunt, debebant hujus interpretationem afferre planam et facilem et contexto ſermoni aptam, non cramben centies coctam denuo recoquere et nauſeam excitare harum rerum peritis. — — Caeterum vehementer gaudeo hunc laborem meum viris doctis, qui de legitima interpretatione

tione recte judicare poſſunt, non diſplicuiſſe. Quorum applauſus quoque me excitavit, ut hunc vertendi laborem in prophetis majoribus continuarem, quorum in linguam latinam translatio, eodem modo, quo haec minorum prophetarum, notis philologicis et criticis illuſtrata, propediem prelo ſubjicietur. Scripſi Lipſiae A. R. S. MDCCLXXVIII.

HO-

HOSEAS

SECTIO I. CAPVT I

1. Haec ſunt ea, quae Jova Hoſeae Beeri
filio dixit, cum Uſias, Jothamus,
Achas, Hiſkias regnum Judaicum,
Jerobeamus vero Joaſchi filius Iſrae-
liticum regnum teneret. 2. Principio Jova Hoſeam his
verbis eſt allocutus: *a*) Age, duc uxorem meretri-

A cem,

a) Valde laborant plerique interpretes, partim in hoc mandato divino excuſando, partim in ejus executione. Ego vero nihil, neque Deo neque propheta indignum, facto huic ineſſe putem. Etenim propheta ipſe non ſcortatus eſt, ſed mulierem ſcortatricem legitimo modo in matrimonium duxit, atque ex ea liberos ſuſtulit, qui ob matrem meretricem, quae etiam in ipſo matrimonio datam fidem marito ſuo violabat, quod

cem, liberos geniturus meretricios; ſic enim populus iſte pro caſto mei amore, alios Deos amore impuro proſequitur. 3. Abiit igitur et duxit Gomeram Diblaimi filiam, quae gravida facta ei filium peperit. 4. Nomina eum, inquit Jova, Jeſreelem. Brevi enim futurum eſt, *b*) ut poenas ſumam propter caedes Jeſre-

quod ex Cap. III, 1. clarum eſt, *liberi ſcortationis* vocantur. Qui aliter hoc mandatum Dei explicant atque vel ſub זֹנָה mulierem gentilem, vel ſub יַלְדֵי זְנוּנִים filios ſpurios ab iſta muliere ante matrimonium cum propheta genitos volunt intelligi, non ſatis attendunt, uti videtur, ad id, quod propheta actione iſta ſymbolica debebat indicare, quod tamen in altero verſus ſecundi membro clare explicatur: populum nempe judaicum fidem Deo datam de eo unice colendo non ſervare, ſed praeter Jovam, cui ſolenni foedere junctus erat, alios Deos colere. Quod non adumbratum fuiſſet illo prophetae matrimonio, ſi זנה mulier eſſet gentilis et ſi ילדי זנונים liberi eſſent, ante foedus matrimonii nati. Offenduntur viri docti, uti arbitror, allegoria, qua Dei cum populo Iſraelitico conjunctio matrimonio comparatur, quam nimis ex noſtris moribus dijudicant, quod fieri non debebat. Nam cum viri divini in illa comparatione, quam per omnes partes effingunt, nihil Dei ſanctitate indignum invenerint, noſtrum non eſt eam ad morum noſtrorum elegantiam emollire.

b) Difficultatem, quae eſt in his minis, interpretes, qui quidem ejus mentionem faciunt, ita removent, ut dicant, Jehu, quan-

Jeſreele commiſſas de domo Jehu, et tandem finem faciam regni Iſraelitici. 5. Eodem illo tempore frangam robur Iſraeliticum *c*) in valle Jeſreel. 6. Cum deinde iterum gravida facta filiam peperiſſet, dixit *Jova Hoſeae:* voca eam *d*) Lorüchamam, nam non amplius miſerebor Iſraelitarum, ſed penitus eos tollam. 7. Judaeorum vero miſerebor, Ipſe ego eos ſervabo, Jova Deus eorum; ſervabo eos non arcu, gladio aut bello, non equis aut equitibus. 8. Cum deinde *mater* Lorüchamam a lacte removiſſet, iterum gravida facta filium peperit. Hunc juſſu Dei Lo-Ammi vocavit, vos enim, inquit, meus populus non eſtis, nec ego Deus veſter ero.

quanquam Achabi familiam ex mandato Dei exſtirparat, tamen cum idololatriam non tolleret, facta illius approbaſſe. *Grotius* faciliorem ſenſum indicat, nempe hunc: qualem ſtragem edidit Jehu in domum Achabi et in Iſabelem, tali ſtrage puniam poſteros Jehu. Sed verba hebraea hunc ſenſum non videntur admittere.

c) Nempe circa metropolin Jeſreel campi erant latiſſimi et magna planities, cujus ambitus decem millium paſſuum fuit. In hac pugna commiſſa eſt, in qua Iſraelitae ab Aſſyriis caeſi ſunt atque regnum decem tribuum ſublatum fuit. Sic *Hieronymus* in Comment. ad h. l.

d) Nomen hoc et ſequens verſ. 8 Lo-Ammi, ut nomina propria retinenda in verſione putavi. Eſt vero *Lorüchama* ex Etymologia, *non-miſeranda*, h. e. quae nullam miſericordiam expectare poteſt, et *Lo-Ammi*, *non populus meus.*

SECTIO II. CAPVT II.

1. Futurum eſt aliquando, ut Iſraelitae numero pares ſint arenae maris immenſae et innumerabili, utque eo ipſo in loco, quo eis dictum eſt, vos non eſtis meus populus, vocentur filii Dei viventis. 2. Judaei enim et Iſraelitae una congregati conſtituent ſibi unum caput, atque ex terra *captivitatis ſuae* redibunt. Dies ille Iſraelitarum inſignis erit. 3. Gratulamini *a*) fratribus & ſororibus veſtris hanc felicitatem, gratiae nempe meae et miſericordiae reſtitutae. 4. *b*) Matrem vero veſtram reprehendite, reprehendite *eam*, (nam neque ipſa mea uxor, neque ego maritus ejus ſum,) ut abſtineat a ſcortationibus et adulteriis ſuis. 5. Ne ego eam veſtibus detractis denudem, talemque ſiſtam, qualis die ſuo natali fuit. Ne terram ejus vaſtem et in ſolitudinem redigam, ipſam vero ſiti perimam.

6.

a) Poſteris veſtris ex captivitate reducibus.

b) Populum tempore prophetae viventem, quem in ſequenti verſu tropo mutato comparat cum terra vaſtanda, ubi ego verſionem genio latinae linguae accommodavi. Eam igitur matrem ſuam reprehendere debent Judaei, h. e. omnes hanc ſibi communem culpam agnoſcere, quod a Deo per idololatriam defecerint. Sequentia verba in parentheſi ſunt accipienda, et probant populum dignum eſſe, qui a Deo rejiciatur: quia fidem conjugii non ſervavit, inquit Deus, ideo eam non amplius habebo pro uxore mea.

6. c) Nec liberorum ejus miſerebor, nam ex adulterio nati ſunt. 7. Meretricatur enim eorum mater, impudice agit eorum genitrix. Dicere enim ſolet: Sequar amatores meos, qui mihi panem, aquam, lanam, linum, oleum et potum praebent. 8. Propterea * viam ejus ſpinis obſtruam, et ſepimento objecto faciam ut exitus non inveniat. 9. Dum igitur amaſios ſuos, licet perſequendo, non aſſequitur, aut quaerendo eos, non invenit: ita tandem dicet: redibo ad maritum meum priorem. Nam melius tunc mecum agebatur, quam nunc. 10. Iſta quidem noluit agnoſcere, me eſſe eum, qui ſibi frumentum, muſtum, oleum ſuppeditaret, magnamque argenti et auri copiam donaret, quam in Baalis cultu abſumſit. 11. Propterea frumentum et muſtum meum ſuo tempore repetam. Lanam et linum meum auferam, * ne verenda tegere poſſit. 12. Mox ejus laſciviem amatorum oculis exponam. Et nemo in eo me impediet. 13. Omnibus ei gaudiis ereptis, feſtorum, noviluniorum, omniumque ſolennitatum finem faciam. 14. Vaſtabo vites et ficus ejus, (quas ſuum quaeſtum eſſe, ſibique a ſuis datas amatoribus dictitat,) et in ſilvam redigam; fera animalia eas conſument. 15. A-

 nim-

c) *Liberi* illius matris ſunt ſinguli Iſraelitae, qui ſimul ſumti *matrem* h. e. univerſum populum conſtituebant. Vocantur vero בְּנֵי זְנוּנִים h. e. a pueritia idololatriae addicti et aſſueti, ut Cap. 5, 7 *filii peregrini*.

Digitized by Google

nimadvertam in eam propter cultum Baali exhibitum, cui ſuffitum obtulit, inauri et monili ſe ornavit, et ſic mei oblita amatores ſuos ſecuta eſt, inquit Jova. —— 16. *d*) Verum enim vero deinde eam ad ſaniorem mentem revocabo, atque in deſerto, quo a me deducta eſt, conſolabor. 17. Reddam ei tunc vineas ſuas, atque *e*) vallis illa Achor ſpem etiam ei oſtendet, * poſtquam ibi afflicta fuerit ſicuti in juventute ſua, nempe cum ex Aegypto eſſet egreſſa. 18. Eo igitur tempore, inquit Jova, vocabis me maritum tuum, non amplius Baalem. 19. Auferam enim iſta Baalum nomina ex ore tuo, nec amplius eorum fiet mentio. 20. Tum compeſcam feras agreſtes, aves et terrae reptilia, ne tibi noceant, fractisque in tota terra arcu, gla-

d) Totus hic locus usque ad finem capitis mihi videtur conſolatorius et promiſſionem continere de reditu aliquando futuro ex captivitate. Modo לָכֵן non *propterea* vertatur, quaſi rationem reddat praecedentis verſus. Eſt particula aſſeverandi, cf. Zach. XI, 7. et ſaepe novam pericopam incipit.

e) Alludit propheta ad hiſtoriam, quae legitur Joſ. VII, 24. Ob furtum Achanis clade affecti fuerant Iſraelitae in valle ad ſeptentrionem Hierichuntis, quam propterea vallem Achor h. e. confuſionis ſ. perturbationis vocarunt. Regiones igitur eas, in quibus Iſraelitae ut exules vivere debebant, vocat propheta vallem Achoris, quae tamen et ipſa *oſtium ſpei* eſſe debebat, h. e. bene ſperare poterant iisdem in locis, quod accidit etiam Iſraelitis in eadem illa valle commorantibus, tunc enim finem itinerum ſuorum videbant.

gladio et bello, te in tuto collocabo. 21. *f*) Igitur te mihi in aeternum deſponſabo. 22. *g*) Deſponſabo vero te mihi, juſte te puniendo, deinde vero inſigniter miſerando atque omnia promiſſa praeſtando: tu vero me tantum coles. 23. Eodem illo tempore *h*) exorabor ego, inquit Jova, exorabor caelo, et caelum terrae exorabitur. 24. Terra exorabitur frumento, muſto, oleo, et iſta omnia Iſraeli exorabuntur. 25. Effi-

f) Altera pars hujus pericopae incipit, in qua propheta eandem promiſſionem repetit ſub tropo deſponſationis ſ. novi conjugii contrahendi Deo cum populo ſuo.

g) Diverſa tempora indicantur, quibus illa deſponſatio quaſi inchoari, deinde contrahi, tandem conſummari debebat. Initium ejus propheta ponit in ipſa abductione in captivitatem. Habebat enim pro ſcopo emendationem populi, ejusque cum Deo reconciliationem, atque idem eſt, quod verſ. 16. dixerat. Alteram periodum hujus deſponſationis propheta facit tunc, cum Deus populi eſſet miſertus, h. e. cum libertatem redeundi in patriam ſuam iterum conſequerentur. Tertiam cum ſecunda conjunctam, nempe felicem et florentem ſtatum reipublicae poſt illa tempora.

h) Eſt elegans Proſopopoeia in hoc loco, quam retinendam putavi in verſione, quod ſenſus ejus intellectu non eſt difficilis. Planius ita dici potuiſſet: Admodum benignum me praebebo, inquit Jova, dabo caelo optimam conſtitutionem, caeli temperies terrae erit exoptata, terra largos fructus emittet frumenti, muſti, olei, et ſic iſta omnia Iſraelis votis reſpondebunt.

Efficiam ut late ſe diffundat, miſerebor ejus cui miſericordia denegata fuerat, improbatum mihi adhuc populum amore ampleꝭtar, ab eo viciſſim colendus.

SECTIO III. CAPVT III

1. Alio deinde tempore Jova hunc in modum me eſt allocutus: iterum abi atque ama mulierem aliis amicam et adulteram. Eadem enim ratione amat Jova Iſraelitas, quanquam alienos Deos reſpiciunt, et vino eis conſecrato delectantur. 2. Igitur eam mihi comparavi quindecim nummis argenteis, atque uno et dimidio chomero hordei. 3. Et dixi ei: tu aliquandiu ita mea eris, ut neque meretriceris, neque tu virum, nec ego te habeam. 4. Etenim diu Iſraelitae ſine rege, ſine duce, ſine ſacrificiis, ſine ſimulacris, ſine Ephod et Teraphim erunt. 5. Deinde vero iterum quaerent Jovam Deum ſuum, et Davidem regem ſuum, et properabunt ad Jovam felicitatis ſuae auctorem extremis temporibus.

SECTIO IV. CAPVT IV, 1-10

1. Audite verba Jovae, o Iſraelitae. Reos agit Jova hujus terrae incolas; nulla fides, nulla pietas, nulla religio inter eos deprehenditur. 2. Perjuriis, mendaciis, homicidiis, furtis, adulteriis dediti ſunt, caedium nullum finem faciunt. 3. Propterea etiam lugebit terra, omnesque terrae incolae lugebunt, cum beſtiis agre-

agreſtibus, avibusque. Atque adeo piſces conficientur. 4. Nec eſt quod alius alium reprehendat, *a*) omnes enim capitalium criminum rei ſunt. 5. Brevi igitur corrues, corruet etiam tecum propheta ex improviſo. Exſcindam matrem tuam. 6. Exſcindetur populus meus ſalutari cognitione deſtitutus; et te quoque, *b*) *ſacerdos*, qui eandem illam cognitionem ſpernis, te quoque rejiciam, quo minus ulterius ſacerdotis munere fungaris: et quoniam tu legis meae oblitus es, ego quoque liberorum tuorum obliviſcar. 7. Quotquot eorum ſunt, tot etiam adverſus me peccant, gloriam eorum in ignominiam convertam. 8. Victimis, quas

a) Verba textus ſunt וְעַמְּךָ כִּמְרִיבֵי כֹהֵן *et populus tuus ſicuti contendentes cum ſacerdote.* Sacerdotibus contradicere eorumque monitis refragari crimen erat, cui capitis poena dicta fuit Deut. XVII, 12. Species igitur pro genere poſita videtur. Similis phraſis eſt Cap. V, 10: principes Judaeorum ſunt *ſicuti qui terminos mutant*, h. e. peſſimi homines. cf. Deut. XIX, 14.

b) Subjectum hoc, h. l. ſupplendum eſſe ex verſ. 8 et 9 apparet, in quibus ſacerdotes, aeque impii ac univerſus populus dicuntur, eandem propterea cum illo poenam experturi. Quodſi verſum ſextum tantum de populo velis explicare, quod fieri poſſet, tamen ad verſum 8 ſubjectum illud ſupplendum eſſet, in quo illa ellipſis durior videtur, quam in verſu 6, in quo ſubjectum ex verbis: *te rejiciam* מִכַּהֵן facile poteſt divinari.

populus meus pro peccatis offert, veſcuntur et optant, ut quam plurimum peccet. 9. Qualis igitur populus, talis etiam ſacerdos erit: animadvertam in eorum actiones, et rependam illis mores eorum. 10. Comedentes non ſaturabuntur, ſcortantes prolem non accipient, etenim me legesque meas contemnunt.

SECTIO V. CAPVT IV, 11-19

11. Scortationes et compotationes* populo meo omnem intelligendi vim abſtulerunt. 12. Lignum ſuum conſulit et ſtipes ejus oracula edit, adeo cupiditas libidinoſa eum ſeduxit, ut omiſſo Deo ſuo meretricetur. 13. In verticibus montium ſacrificant, in collibus offerunt ſuffitum, ſub quercu, therebintho et populo umbroſa. *a*) Propterea etiam filiae veſtrae ſcortantur et

a) Omnes, quos quidem vidi, interpretes exiſtimant, haec verba et ſequentem verſum comminationem continere propter idololatriam in illis locis commiſſam. Mihi vero non ita videtur. Continuatur commemoratio ſcelerum, non ſolum a patribus, ſed etiam ab eorum liberis commiſſorum. Non obſtant tempora futura verborum, quae non ſemper tempus futurum indicant, ſed ſaepe, uti et praeterita, ſignificationem Aoriſti habent, ſive tempus continuum indicant. Quo obſervato omnis hujus loci difficultas tollitur, in qua removenda interpretes parum feliciter verſati ſunt. - - עַל כֵּן *propterea*, hoc eſt: *ſecundum illud peſſimum veſtrum exemplum*, quod filiae et nurus veſtrae vident, eadem ſcelera committunt. cf. nota b).

Google

et nurus veſtrae adulterantur; 14. * Atqui ego non animadvertam in filias veſtras, quamvis ſcortentur? neque in nurus veſtras, quamvis adulterentur? *b*) quippe cum ipſi cum ſcortis ſecedatis et cum proſtibulis ſacrificetis? Immo vero populus iſte imprudens *c*) proſternetur. 15. Quodſi igitur vos, o Iſraelitae, ſcortamini, modo ne Judaei idem crimen committant. Aut Gilgalam ne abeatis, neque proficiſcamini Bethaven, *d*) aut Jovam omnino non profiteamini. 16. Similes ſunt Iſraelitae *e*) vaccae contumaci, paſcet eos Jo-

b) In textu hebraeo eſt כִּי הֵם Genus maſculinum, cum foemininum praecedat, indicat patres eſſe intelligendos. Atque hoc comma explicat illud עַל כֵּן in verſu praecedente. Mutatio perſonarum ſenſum reddit paullulum impeditum, quam in verſione non putavi retinendam.

c) Verbum לבט praeter h. l. bis extat, Prov. 10, 8. 10. ad quem locum *Schultenſius* probavit, eſſe Arab. لبط *praeceps ruit, corruit.*

d) Hebr. *ne juretis per Jovam.* Haec phraſis ſaepe, ut ſpecies actus religioſi pro profeſſione verae religionis in genere dicitur, e. g. Jer. 4, 2. Vau vero disjunctive explico: *aut* non veniatis in ſocietatem iſtius cultus idololatrici, *aut* Jovam omnino non, ut Deum quem colatis, profiteamini.

e) Alludit propheta ad imagines vitulorum, quae Galgale et Bethele colebantur. Deum vitulo aſſimilarunt, inquit propheta, at ipſi tales ſunt, nempe quoad contumaciam, mentem refractariam et jugi impatientem.

Digitized by Google

Jova ut agnos *f*) per loca late patentia. 17. Nimis addicti ſunt Ephraimitae idolis, mitte eos. 18. Compotationes eos ſeduxerunt, meretricantur, atque adeo eorum proceres iſta turpitudine * delectantur. 19. Ventus eos velut alis ſuis correptos auferet, tunc pudebit eos ſacrificiorum ſuorum.

SECTIO VI. CAPVT V, 1-7

1. Audite hoc ſacerdotes, attendite Iſraelitae, et vos de domo regia auſcultate, vobis enim judicia divina indicenda ſunt. Vos laqueus fuiſtis Mizpae, et rete expanſum in Tabore, 2. * quale venatores profunde abdunt. Ego vero iſtos omnes caſtigabo. 3. Novi ego Ephraimum, et Iſrael me non latet, etiamnum meretricatur Ephraim et Iſrael polluitur. 4. Per pravos ſuos mores ad Deum ſuum redire non poſſunt. Impudicitiae aeſtu flagrantes Jovam non curant. 5. Teſtatur contra Iſraelitas eorum arrogantia in iis perſpicua. Iſraelitae et Ephraimitae propter peccata ſua corruent, corruent Judaei una cum illis. 6. Tunc cum ovibus et bobus quaeſitum ibunt Jovam, nec invenient. Subtrahet ſe eis. 7. Perfide egerunt in Jovam,

f) Eſt et hoc ambigue dictum. Amant agni late paſcere. Dicit igitur propheta, Deum diſperſurum eſſe Iſraelitas per omnem Aſſyriam.

vam, filios ſpurios genuerunt. *a*) Jam tributa menſtrua eos eorumque bona abſument.

SECTIO VII. CAPVT V, 8 - VI, 3

8. Clangite buccina Gibeae, tuba Ramae, vociferamini Bethaven, tibi, o Benjamin, *hoſtis* imminet. 9. Ephraim vaſtabitur tempore poenae, certiſſimum eventum habebunt, quae ego tribubus Iſraeliticis denuncio. 10. Principes Judaeorum *b*) ſimiles ſunt his, qui terminos mutant. Iram meam veluti aquam in eos effundam. 11. Ephraim oppreſſus eſt, ſeveriſſimo judicio conquaſſatus, lubenter enim * ſectatur vana idola. 12. Igitur ego Ephraimitis quaſi tinea et Judaeis quaſi caries ero. 13. Videt quidem Ephraim morbum ſuum et Juda ſuum vulnus; Sed abit Ephraim ad Aſſyriae regem, mittit ad regem vindicem. Ille vero minime vos ſanabit, nec vulneri veſtro medebitur. 14. Etenim ego quaſi panther Ephraimo et quaſi leo Judaeae domui ero: Ego, ego rapiam et abibo, auferam et nemo eripiet. 15. Redibo in locum meum, donec ſe reos peragant atque in his anguſtiis ſuis favorem meum ſerio quaerant, *hac forte formula:*

CA-

a) חדש *menſis* h. e. tributa menſtrua ſolvenda Phuli regi Aſſyriae, impoſita populo a Menahemo. vid. 2 Reg. 15, 19. 20.

b) cf. nota a) ad Cap. IV, 4.

Digitized by Google

CAPVT VI, 1. Agite, redeamus ad Jovam. Ille enim nos ſauciavit, idem ille nos ſanabit, vulnera nobis inflixit, idem ille ea curabit. 2. Poſt paucos dies priſtinam nobis valetudinem reddet, et felices erimus ejus beneficio. 3. Diligenter modo et ſtudioſe perſequamur Jovae cognitionem; orietur nobis auxilium ejus tam certo quam aurora; veniet nobis ut pluvia, ut irrigans terram imber ſerotinus.

SECTIO VIII. CAPVT VI, 4-11

4. Quid tibi faciam, o Ephraim? quid tibi faciam, o Juda? pietas veſtra ſimilis eſt nubi matutinae, aut rori mature diſparenti. 5. * Fulminavi in eos per prophetas, terrui eos meis oraculis, atque minae iſtae meae lucis inſtar erumpent. 6. Magis enim pietate quam victimis delector, meique reverentia quam ſacrificiis. 7. Illi vero ſicuti Adamus foedus violant, *a*) hac ipſa in terra perfide erga me agunt. 8. *b*) Urbes Gilea-

a) In textu hebraeo eſt שָׁם *ibi*, quod monſtrat quaſi digito: in terra illa bona, quam dedi illis ſub hac conditione, ut legem meam ſervarent, in illa a me deficiunt et foedus cum iis initum frangunt. Ita et Chaldaeus explicat.

b) Verba hebraea: גִּלְעָד קִרְיַת פֹּעֲלֵי אָוֶן עֲקֻבָּה מִדָּם valde ſunt difficilia. Cum Gilead non urbs ſit, ſed regio trans Jordanem, in qua multae urbes fuerunt; per Synecdochen ſingularis pro plurali poſitus videtur et conſtructio ver-

leaditicae omnes ſunt improbae, nec a caedibus alienae. 9. *c*) Sacerdotum ſocietas ſicuti latrones inſidiatur, in via verſus Sichemum latrocinatur, atque adeo turpiſſima ſcelera committit. 10. Inter Iſraelitas horrenda video flagitia. Video Ephraimum meretricantem, Iſraelem ſe contaminantem. 11. Tibi quoque, o Juda, *d*) meſſis malorum parata eſt, eo ipſo tempore, quo bene tibi facere cogitabam.

SECTIO

verborum ita inſtituenda, ut Gilead ſit nominativus, qui dici ſolet, abſolutus: Gileaditidem quod attinet, urbes ejus ſunt peccatrices. - - עקבה vocabulum ἅπαξ λεγόμενον propter contextum malui ex ſignificatione *veſtigii* quam *fraudis* vertere. Syrus habet: *Sanguine conſperſa* ſ. *foedata.* Chaldaeus: *Gilead civitas eſt* doloſe effundentium ſanguinem innocentem.

c) Sichem urbs fuit ſacerdotum et refugii in tribu Ephraim *Joſ.* XVII, 7. XXI, 21. Videntur vero ſacerdotes illo tempore abuſi eſſe ſuis privilegiis atque jure aſyli, ut vel ipſi caedes patrarent, vel ab aliis commiſſas occultarent, quod ultima verba innuunt: *ſcelera patrarunt.*

d) In verbo שָׁת tertia perſona imperſonaliter poſita eſt. *Meſſem* in deteriori ſenſu accipio, de poenis divinis, ut *Joel.* IV, 13. *Jer.* LI, 33. Phraſis *vertere captivitatem*, tropice dicitur, de omni mutatione in melius, ut *Job.* XLII, 10: hinc ſenſum verborum putem eſſe hunc: Illo tempore, quo ego tuam calamitatem in melius mutare volebam, illa tua ſocietas cum Iſraelitis idololatris et peſſimis hominibus hoc impedivit, novamque malorum ſegetem tibi paravit.

SECTIO IX. CAPVT VII, 1-16

1. Quoties ſanare inſtitui Iſraelem, prodit ſe Ephraimi iniquitas et Samariae ſcelera. Mentiuntur enim, furantur, latrocinantur. 2. Neque animis ſecum reputant, me omnium ſuorum ſcelerum memorem eſſe, facinora ſua eos jam urgere, mihi perpetuo ob oculos verſari. 3. Sceleribus ſuis regem exhilarant, et mendaciis ſuis principes. 4. Omnes adulterantur *et ardent* ut furnus piſtoris ſuccenſus, *ad quem* vigilare ceſſat, poſtquam depſuit maſſam, donec ea fermenteſcat. 5. * Die regis noſtri vino incaleſcunt principes, atque ille cum irriſoribus verſatur. 6. * Incenſus eſt uti furnus eorum animus, clam tota nocte continetur eorum ira, mane erumpit in flammam. 7. Omnes ardent ſicuti furnus *a*) et confecerunt ſuos judices; reges eorum perierunt, nec eſt qui me invocet. 8. Ephraim inter gentes diſpergetur, Ephraim ſimilis eſt placentae non verſae *b*). 9. Peregrini vires ejus conſumſerunt,

a) Reſpicit hic locus ſine dubio ſeditiones et conjurationes regum Iſraeliticorum Secharjae, Sallumi f. Menahemi et Pekae, quorum hiſtoria breviter deſcribitur II Reg. XV. In allegoria, qua propheta utitur, non puto nimis eſſe argutandum. Nihil amplius indicatur, quam conſilia iſta occulto eſſe agitata et praeter ſpem atque expectationem omnium eſſe perfecta. Fruſtra laboret, qui in tanto hiſtoriae defectu plura ex hoc loco extundere velit.

b) Quae, quod a nemine curatur, ab igne corrumpitur. cf. *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l.

runt, nec tamen intelligit; jam canitie conſpergitur, nec tamen intelligit. 10. Teſtatur contra Iſraelem ejus ſuperbia: ille vero nihilominus neque ad Jovam Deum ſuum redit, neque eum quaerit. 11. Ephraim ſimilis eſt columbae ſtolidae et inſipienti, ad Aegyptum clamat, Aſſyriam adit. 12. Sed cum abierit, ego expanſo reti meo eum uti avem opprimam et puniam, prouti ſaepe illis *per prophetas meos* teſtatus et comminatus ſum. 13. Vae illis! quia a me diſceſſerunt, pernicies illis! quia a me defecerunt: etiamnum eos juvarem, ſed mihi mentiuntur. 14. Non ex animo me invocant, ſed in lectis ſuis ejulantes propter frumentum et muſtum anguntur, a me recedunt. 15. Sive punirem eos, ſive juvarem, ſemper peſſimam mihi gratiam retulerunt. 16. Poenitentiam agunt, ſed non *c*) ſinceram, fallaci arcui ſimiles. Gladio

c) Ex ſignificatione primaria עַל eſt ſummum et perfectiſſimum in ſuo genere, hinc עַל אַפִּי ſignificat ſummam iram, ſummumque ejusque gradum, Jer. XXXII, 31. 2 Reg. XXIV, 20. cf. Cel. *Venema* in Commentario ad Malachi, p. 65. Phraſis igitur hujus loci שׁוּב לֹא עַל *reverti ſ. poenitentiam agere non perfecte*, mihi explicanda videtur de imperfecta et hypocritica poenitentia populi Iſraelitici, quam in ſequenti commate propheta cum arcu doloſo comparat et in verſ. 14. verbis propriis deſcripſerat. Mihi quidem haec probabiliora videntur, quam incertae conjecturae ex incertis antiquiorum interpretum lectionibus.

dio peribunt eorum principes propter linguae ſuae maledicentiam, idque eos Aegyptiorum ludibrio exponet.

SECTIO X. CAPVT VIII

1. Ori tuo buccinam *admove*, ſicuti aquila adverſus aedem Jovae *hoſtis* irruit, quoniam rupto meo foedere a lege mea defecerunt. 2. Et tunc quidem * Iſraelitae ad me clamabunt: o Deus noſter, tibi dediti ſumus! 3. Rejecit Iſrael ſummum ſuum bonum; ideo hoſtis eum perſequitur. 4. Reges ſibi faciunt, qui mihi non probantur; principes ſibi conſtituunt, qui mihi non placent. Argentum et aurum ſuum in ſimulacra inſumſerunt, ideo * exſcindentur. 5. — — ** Ira mea in eos exarſit: quousque nullam admittent emendationem! 6. — — *a*) Abominabilis mihi eſt vitulus tuus, o Samaria! eſt enim Iſraëliticum inventum: opus artificis, non deus. Sane in *b*) fragmina ſcindetur vitulus Samariae. 7. Ventum ſerunt, tempeſtatem etiam metent. Seges germine carebit, farinam non faciet, aut ſi fecerit, alieni eam conſument. 8. Profecto Iſrael conſumetur, mox inter gentes, ut vas nullius pretii, omnium con-

a) De hac verbi זָנַח ſignificatione vid. Celeberrimus *Schroederus* in Obſervatt. ſelectis ad Orig. Hebr. pag. 69 et 80.

b) שְׁבָבִים *fragmenta*, quibus ignis fovetur et ſuſcitari ſolet. cf. *Schultens* in Animadv. philol. ad h. l.

contemtui erit expoſitus. 9. Ad regem Aſſyriae abiit, ille vero ut onager ſolitarius ſua tantum curat: Ephraim munera offert amatoribus. 10. Quanquam vero gentes ſibi conciliare ſtudent, mox tamen eas *contra illos ipſos* congregabo, et tunc quidem *c*) requieſcent paullulum ab onere regum et principum — —. 11. Multas ſibi Ephraimitae ad peccandum aras exſtruxerunt, hae ipſae etiam poenam peccati eis afferent graviſſimam. 12. Multas eis leges praeſcripſi, ſed habent eas pro re nihil ad ſe pertinente. 13. Quod ad ſacrificia mihi debita attinet, offerunt ea quidem, ſed eorum carne ipſi veſcantur: ego illis minime delector. Mox enim iniquitatis eorum memor in peccata eorum animadvertam, *d*) quoniam ad Aegyptios redierunt. 14. Iſraël creatoris ſui eſt oblitus. Palatia quidem

c) Eſt hoc per Ironiam dictum. Nempe conqueſti erant Iſraëlitae de oneribus, quae ſibi a ſuis regibus et praefectis imponerentur. Dicit igitur Deus: efficiam, ne amplius onероſa iſta tributa pendant regibus ſuis, nimirum quia ſervili conditione inter Aſſyrios vivere debebunt. Etiam illud *paulliſper* ironice dictum eſt. Diu enim durabat illa ſervitus, quae h. l. praedicitur. Secundum hanc vero explicationem non eſt legendum יָחֵלּוּ ſed יָחֵלּוּ a יחל *expectavit*, ſive יֶחְדְּלוּ Ita quoque *οἱ ὁ*, Syrus et Vulgatus legerunt, qui et Vau ante שָׂרִים ſupplent.

d) Contra fidem Aſſyriis datam Hoſeas rex cum Aegyptiis foedus pepigerat. 2 Reg. XVII, 4.

ſibi exſtruit, et Juda multas ſibi facit urbes munitas: ego vero ignem immittam in ejus urbes, qui et ejus palatia conſumet.

SECTIO XI. CAPVT IX, 1-9

1. Nolite laetari, o Iſraëlitae, more aliarum gentium de frumenti in areis copia: vos enim a vero Deo ad deaſtros deſciviſtis, a quibus magnum *a*) quaeſtum expectatis. 2. *b*) Sed area et torcular eos non paſcet, muſtum * eis mentietur. 3. Non diu amplius in terra Jovae habitabunt, in Aegyptum revertentur, in Aſſyria cibo immundo veſcentur. 4. Tunc non Jovae vinum libare poterunt; nec ei eorum ſacrificia placerent, perinde enim ac epulae funebres erunt, quibus, qui intereſt, polluitur. Cibus eorum, eorum uſibus tantum poterit inſervire, nihil de eo ad templum Dei deferetur. 5. Quid facietis diebus conventus ſolemnis, diebus Jovae ſacris? 6. *c*) Heu fame peribunt, Aegyptus eos colliget in ſe-

a) cf. Cap. II, 7.

b) Pro fertilitate agrorum et vinearum, quam Iſraëlitae ut mercedem idololatriae ſuae expectabant, Deus ſterilitatem minatur et annonae caritatem.

c) Ita *Schultenſius* in Animadv. philol. hunc locum explicat. Nimirum שׁד non ſolum *vaſtationem*, ſed etiam *famem* ſigni-

ſepulcrum, Memphis eos ſepeliet, domos eorum magno pretio emtas urtica occupabit, ſpinae ſuccreſcent in eorum tabernaculis. 7. Veniunt dies animadverſionis, imminet tempus vindictae deſtinatum, *tunc* intelligent Iſraëlitae ſtultum eſſe *falſum* prophetam, mente captum qui jactat inſpirationes. Propter tot veſtra peccata odiumque implacabile iſta vobis evenient. 8. Ephraimitae *d*) praeter Deum meum alia auxilia ſpectant, prophetae *falſi* illis ubique inſidiantur, animo *in Deum* infenſiſſimo ſunt in templo idolorum ſuorum. 9. Aeque graviter peccant, ac *e*) tempore Gibeae, ſed memor erit iniquitatis eorum, puniet eorum peccata.

SECTIO XII. CAPVT IX, 10-17

10. *f*) Ut uvas in deſerto inveni Iſraëlitas, *g*) ut ficus

ſignificat, הלך etiam de morte dicitur Gen. XV, 2. Favet huic explicationi contextus. Nam verſ. 3. dixerat propheta Iſraëlitas Aegyptum fugituros eſſe. Jam dicit, hos quoque fuga elapſos vindictam Dei eſſe perſecuturam.

d) Sic עם *praeter* ſignificat Pſ. LXXIII, 25. et צָפָה *aliorum auxilia anquirere* Thren. IV, 17.

e) Hiſtoria legitur Jud. XIX et ſeqq.

f) Sicuti peregrinator valde laetatur, ſi forte uvas in deſerto invenit, ſic Deus cum primum populi ſui ductum ſuſcepiſſet, laetabatur - -

g) Summo amore et cura amplexus ſum patres veſtros, ut hortulanus ſolet arborem, quae primos fructus fert, inprimis diligenter curare.

ficus praecoces, quando primi ejus fructus matureſcunt, vidi patres veſtros. Illi vero *h*) ad Baal Peorem diſceſſerunt, atque ſacris his pudendis initiati, tradiderunt ſe idolis abominabilibus, pro turpi quo feruntur amore. 11. Ephraimitarum gloria ſicuti avis avolabit, infantes recens nati morientur, matres abortum patientur, concubitus erunt infoecundi. 12. Si quibusdam forte contingat, liberos ad aliquam aetatem educare, tamen illos his iterum privabo. Vae enim illis, a quibus diſceſſero! — — 13. Jam quidem Ephraim ſimilis eſt Tyro in loco amoeniſſimo ſitae. Sed idem Ephraim cogetur filios ſuos necandos *hoſtibus ſuis* producere. 14. *i*) (Da illis o Deus! et quid? vulvam partus abjicientem atque ubera arida!) 15. Summam malitiam Gilgale exercent; ibi adeo mihi exoſi ſunt, ut eos non poſſim non propter ſumma ſua ſcelera e domo mea ejicere; non amplius eos amabo; omnes principes eorum ſunt rebelles. 16. *k*) Ephraimitae percutientur, radix eorum exareſcet,

h) In templum Idoli Moabitarum. Num. XXV, 3.

i) Sunt verba prophetae ex amore erga populares ſuos optantis ut ſteriles potius ſint Iſraëliticae foeminae, quam ut liberi ab eis nati et educati ab hoſtibus interficiantur.

k) Tropum in verſione retinui intellectu non difficilem et in altero membro ab ipſo propheta explicatum. Sumtus eſt a ſtirpibus, quae vermibus, ardore ſolis aut caeli aſperitate tactae exareſcunt. Eaedem minae ſunt ſterilitatis, quae ſupra verſu 11 et ſequenti leguntur.

ſcet, fructum non feret. Liberos, ſi quos pepererint, adamatos licet perimam. 17. Repudiabit eos Deus meus, qui ei obedire noluerint, ideo vagi inter gentes errabunt.

SECTIO XIII. CAPVT X

1. Iſrael *a*) vitis eſt late ſe diffundens, fructusque edit copioſos. Sed quo plures fructus habet, eo plures aras exſtruit; quo major eſt terrae fertilitas, eo diligentior eſt in erigendis ſimulacris. 2. *Iſraelitis* ſunt animi ambigui, ſed mox poenas dabunt. Deus enim, everſis eorum aris, deſtruet etiam ſimulacra. 3. Jam quidem dicunt: nonne regem habemus, *qui nos defendere poteſt?* Si Deum non timemus, quid rex ille in ſalutem noſtram poterit efficere *b*)?

 4. Ver-

a) גֶּפֶן בּוֹקֵק vitis multos ramos, multas propagines emittens. Sic etiam *οἱ ό* bene: *ἄμπελος εὐκληματοῦσα*, Symmachus *ὑλομανοῦσα*, Syrus *vitis palmitum*, Vulg. *frondoſa*, ex ſignificatione Arabica בקק *multam prolem edidit.* Reſpicit propheta ſtatum florentem regni Iſraëlitici ſub Jerobeamo II, de quo etiam in praeced. Cap. verſ. 1 et 13.

b) Haec ſunt verba prophetae reſpondentis ad iſtos populi ſermones, quibus magnas ſe expectare dictitabant utilitates ex iſto cum rege Aegypti foedere - - Hunc ſenſum praeferendum putavi inprimis propter ſequentem verſum, qui etiam de illis cum Aegyptiis foederibus agere videtur, quae Deus valde improbabat.

4. Verba dant, in pangendis foederibus pejerant. Ideo quoque poena, ut in agris lolium, germinabit. 5. * Propter vitulum Bethaven, Samariae incolae pavidi lugebunt cum ſacrificulis *c*) dolentibus vehementer illud abductum decus ſuum. 6. Immo in Aſſyriam abducetur, munus *d*) regi illi defenſori. Pudore ſuffundetur Ephraim, atque Iſraelem conſilii ſui pudebit. 7. Auferetur Samaria una cum rege ſuo, *e*) ut ligni fragmina ſuper aqua. 8. Atque tunc deſtruentur loca iſta excelſa iniquitatis, peccatum Iſraëlitarum. Cardui et ſpina in eorum aris ſuccreſcent. Tunc montibus dicent, tegite nos; et collibus, cadite in nos! * 9. Semper quidem Iſraelitae in collibus peccarunt, ibi ſacra fecerunt; ideo quoque bellum eos in his ipſis collibus opprimet. 10. Sed veniam ego contra iſtos peccatores, eosque caſtigabo. Gentes contra eos congregabuntur et propter * duplex iſtud peccatum ſuum capti-

c) גול proprie eſt *in orbem verti et volvi*, hinc in utramque partem dicitur de *laetitia* et *dolore*, cf. *Müllerus* in Satura Obſervatt. pag. 172. et *Schultens* ad Jobum pag. 79.

d) Cf. Cap. I, 13.

e) *Schultens* in Animadv. philol. ad h. l. docuit קצף non eſſe, quod vulgo dicitur, *ſpumare*, *efferveſcere*, ſed *frangere*, *rumpere*. Hinc ſubſtantivum קֶצֶף proprie *fragmina cremia* ligni eſſe, quae ab aqua facile auferuntur. Ita etiam *οἱ ό* verterunt *Φρύγανον*, et Syrus אַיךְ גֶּלָּא

captivi abducentur. — — 11. *f*) Ephraim vitulo ſimi-
lis eſt, qui lubenter triturat. Sed ego collo ejus pul-
chro jugum imponam, tradam Ephraimum vectori, ara-
bit Juda, occabit Jacob. 12. Serite juſtitiam, et metetis
etiam fructum hujus pietatis veſtrae. Scindite agrum
et parate eum ſementi. Tempus eſt ut Jovam ſerio
adeatis, ut veniat et ipſe vos doceat juſtitiam. 13.
Hactenus quidem improbitatem ſeminaſtis, meſſuiſtis
etiam iniquitatis *fructum*, perceptis fructibus mendaci-
bus. * 14. Quoniam curribus tuis confidis et valido
tuo exercitui, orietur in populo tuo tumultus, omnes-
que munitiones tuae vaſtabuntur, *g*) ſicuti olim Schal-
man Betharbelem in bello iſto vaſtavit, ubi mater cum
filiis crudeliſſime interfecta eſt. 15. Haec vero vo-
bis ex Bethele venient propter extremam veſtram im-
pietatem. Rex Iſraelis *h*) mature exſcindetur.

f) Phraſes hujus verſus omnes figuratae ſunt et futuram populi ſervitutem indicant, in oppoſitione ad libertatem, qua populus hactenus gaviſus fuerat eique adſuetus erat, ut bos ſine jugo, ſine loro triturans, neque ſunt nimis ad vivum reſecandae.

g) Reſpicit propheta hiſtoriam illis quidem temporibus notam, nec tamen in ſacris literis relatam. Propterea fruſtra laborant interpretes in ea perveſtiganda, aut concilianda cum hiſtoria ſacra.

h) *mature* בְּשַׁחַר h. e. in ipſis regni ſui initiis, quod utique in Hoſea impletum eſt. cf. 2 Reg. XVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

Digitized by Google

SECTIO XIV. CAPVT XI

1. Cum puer eſſet Iſraël, amavi eum, atque ex Aegypto vocavi filium meum. 2. *Jam vero* quo magis invitantur, eo magis diſcedunt * a me. Baali ſacrificant, ſimulacris ſuffiunt. 3. Ego quidem Ephraimi greſſus formavi et *a*) ſuſtinui eos ſuis brachiis; ſed illi non intellexerunt, me eos ſanare velle. 4. Funibus humanis eos ad me trahere tentavi, funibus amoris, * jugum eis impoſitum levavi, * inclinavi ad eos cibum. — — 5. Revertentur in Aegyptum, Aſſyriae rex eis imperabit, quoniam reſipiſcere noluerunt. 6. Gladius in eorum urbibus *b*) graſſabitur, conficiet *c*) mendaces eorum prophetas, * tunc fructus ſuo-

a) קְחָם eſt infinitivus a לקח, cujus forma, ſed ſine affixo, praeter h. l. etiam extat Ezech. XVII, 5, et analogice etiam in aliis verbis. vid. *Schultenſii* Inſtitt. L. Hebr. p. 319. atque ex idiotiſmo reſpondet praecedenti praeterito תרגלתי

b) Notetur h. l. primaria ſignificatio verbi חלה *terere*, quam *Schultenſius* in Orig. Lib. I. cap. IX. abunde probavit, antiquis interpretibus ignorata.

c) בַּדִּים non ſunt *vectes*, neque *milites*, uti Jonathan, neque *electi*, uti Vulgatus vertit. Sed proprie ſignificat falſos et mendaces homines a בָּדָא *mendax fuit*, atque h. l. uti alias v. c. Eſ. XVI, 6. Jer. XLVIII, 3. de falſis prophetis dicitur.

ſuorum conſiliorum percipient. 7. *d*) Fluctuant adhuc, num ſeſe ad me convertere debeant. Omnes quidem *prophetae* eos hortantur, ut ad Deum revertantur, ſed nemo auſcultat. 8. Quid tibi faciam o Ephraim, tene tradam exitio? o Iſrael! tene ſimilem Adamae faciam aut evertam ut Zeboim? Sed intimo ego commiſerationis affectu erga te moveor. 9. Non agam pro irae meae fervore: non perdam Ephraimum, Deus enim ſum, non homo; Sanctus a te colendus. Non veniam *e*) irae plenus in tuam perniciem effervescentis. 10. Jovam ſequentur, quando ſicuti leo rugiet; immo rugiet et properabunt ad eum ex occidente

d) Sic תְּלוּאִים etiam legitur Deut. XXVIII, 66. a תלה *ſuſpendit*, metaphorice pro *dubio* et *incerto*, ut Latini dicunt *animo ſuſpenſo eſſe*. — יַחַד connecto cum יְקָרְאֻהוּ ad quod ſubjectum *prophetae* ex praedicato facile ſuppletur — tandem ad לֹא יְרוֹמֵם *non extollit*, ſubſtantivum ראשׁ ſubintelligendum eſt: *non effert* quisquam caput ſuum, ut arrectis auribus auſcultaret. Sic *Grotius*.

e) Verba hebraea לֹא אָבוֹא בְּעִיר valde vexata ab interpretibus cum antiquioribus tum recentioribus, optime putem explicata eſſe a Celeb. *Schroedero* in Obſervatt. ad Orig. L. H. pag. 25. ex ſignificatione primaria verbi עור *fervere*. Hinc ſubſtantivum עִיר *iram vehementiorem* notat. Quae ſignificatio huic loco et contextui aptiſſima eſt, ſic enim ultimum hujus verſus membrum primo reſpondet: *non agam tecum pro irae meae impetu*.

te filii. 11. Pavidi properabunt, uti avis ex Aegypto, uti columba ex Aſſyria. Reddam illis domos ſuas habitandas, inquit Jova.

SECTIO XV. CAPVT XII

1. Circumvenerunt me mendacio Ephraimitae et dolo Iſraëlitae, atque etiam Judaei *a*) vagi oberrant a Deo, a ſancto illo fido et conſtanti. 2. Ephraimitae paſcuntur vento *b*) et perſequuntur Eurum, quotidie mendacia, ſimul vero perniciem ſibi augent: nempe foe-

a) Hanc quoque interpretationem debeo Cl. *Schroedero* l. c. p. 11. Verbum רוד, quod quater omnino legitur in Codice S., a plerisque interpretibus explicatur *conſtantem eſſe, perſeverare in ſententia ſua.* Quae ſignificatio ut reliquis locis, ita huic parum apta eſt. Propheta enim non laudat Judam h. l. quem antea paſſim reprehenderat, V, 10. VI, 4. et quocum in verſu ſequenti tertio Dei nomine contendit. Nempe רוד, quod copioſe probavit Vir ille doctiſſimus, eſt, *huc et illuc vagari et diſcurrere*, diciturque proprie de grege oberrante et divagante. — קדושים eſt hoc loco nomen Dei, ut Prov. IX, 10. Habacuc III, 3. quocum נאמן in numero ſingulari conſtructum eſt, quemadmodum cum אלהים fieri quoque ſolet.

b) Sunt dictiones proverbiales, quibus vanum et inane ſtudium, fructu carens indicatur. Innuit vero propheta vanam eſſe fiduciam, quam Iſraëlitae in Aſſyriis et Aegyptiis ponant.

ſoedus cum Aſſyriis pepigerunt et oleum in Aegyptum detulerunt. 3. Eſt etiam quod Jova in Judaeis reprehendat; Sed puniet iſtam Jacobitarum agendi rationem, rependet illis ex merito. 4. Ille quidem *c*) *Jacobus pater veſter* in utero ſupplantavit fratrem ſuum, deinde vero in ſummo ſuo angore vicit in lucta cum Deo; 5. Immo vicit angelum et praevaluit, flevit et ſupplex gratiam imploravit. Bethele offendit eum, ibique * cum eo eſt locutus; 6. * et ipſe Jova Deus omnipotens in hujus rei memoriam nomen ei dedit: 7. Ita tu quoque revertere ad Deum, pietateque ſervata et aequitate, omnem ſpem in eodem illo

c) Nominativus יעקב ex antecedenti verſu repetendus eſt, quanquam ibi de poſteris Jacobi dicebatur, hoc loco vero de ipſo patriarcha Jacobo. — A plerisque quidem interpretibus hic locus verſ. 4 - 7. habetur pro exhortatione populi ad imitandam fidem Jacobi patris ſui. Sed invita verborum ſignificatione, invito contextu. עקב ſemper in ſenſu deteriori dicitur; atque applicatio exempli verſu 7 manifeſte docet ejus ſenſum et ſcopum: *ita tu quoque ad Deum revertere.* Igitur non de fide heroica Jacobi, ſed de poenitentia, quam aliquando egerit, in protaſi ſermo eſſe debet. Pluribus hoc expoſuit atque totum locum bene, uti arbitror, illuſtravit *Conr. Ikenius* in Diſſertatt. philol. theol. Diſp. XVII. de praevaricatione Jacobi hancque ſecuto certamine fidei pag. 282.

lo pone. 8. *d*) *Ille vero, ſc. Jacob ſ. Ephraim, eſt de genere* Canaanis, manu lances fraudulentas tenet, atque amat alios opprimere. 9. Hinc etiam gloriatur Ephraim ſe divitem eſſe, multasque ſibi opes acquiſiviſſe * tot ſuis laboribus: *e*) non eſſe quod magnopere in eo reprehendatur — — 10. Ego vero Jova te tuitus ſum inde ab Aegypto. Patiarne ego, ut porro, veluti diebus feſtis, laetus aedes tuas inhabites? 11. quanquam ego ſaepe per prophetas ſum locutus, quanquam frequentia edidi vaticinia et, qui ſim, per prophetas declaravi? 12. *f*) Si in Gileaditica regione,

d) Praeter breviloquentiam, quae eſt in ſubjecto hujus verſus כְּנַעַן, eſt etiam ambiguitas in eodem vocabulo, quod non ſolum *Cananaeum* ſed etiam *mercatorem* ſignificat. Utrumque intendiſſe videtur propheta ad indicandam peſſimam indolem mercatorum Iſraëliticorum, ſimilem nempe Cananitarum. Ante כנען ſupplendum eſt וְהוּא atque vel ex antecedentibus יַעֲקוֹב vel ex ſequenti verſu אֶפְרַיִם repetendum.

e) לֹא יִמְצְאוּ לִי Tertia perſona, uti ſaepe, imperſonaliter poſita eſt, et ſenſus: Nulla invenietur in me iniquitas, quae tanta ſit, ut tam graves merear reprehenſiones.

f) Fateor me hunc verſum non intelligere, nec quidquam apud interpretes cum antiquiores tum recentiores inveni, quod lucem accenderet obſcure dictis. Verſio, quam adſcripſi,

ne, quam vana ſit idololatria, cognitum fuit, ſane temerarie agunt, qui Gilgale boves ſacrificant; atque tamen tot aras habent, quot ſunt tumuli per agrorum ſulcos. 13. Jacobus quidem fugit in Syriam, ſerviit Iſraël pro uxore, pro uxore paſtorem egit. 14. Poſteros ejus Jova per prophetam ex Aegypto eduxit, per quem etiam ſaepe ſunt ſervati. 15. Sed Ephraimitae *Jovam* vehementer irritarunt. *g*) Is igitur eorum dominus perniciem eorum non curabit, et ſuam, qua eum affecerunt injuriam, illis rependet.

SECTIO

ſcripſi, facta eſt ſecundum explicationem *Grotii*. Is ſenſum priorum verborum אִם־גִּלְעָד אָוֶן, quae propter breviloquentiam inprimis obſcura ſunt, hunc eſſe putat: abductionem Gileaditarum in captivitatem per Tiglatpileſerum 2 Reg. XV, 29. exemplo eſſe debere duabus reliquis tribubus, idololatria graviſſimum crimen committi; admodum igitur imprudenter agere, qui Gilgale cultum idololatricum exerceant.

g) וְדָמָיו עָלָיו יִטּוֹשׁ Duplex horum verborum dari poteſt verſio. *Sanguinem ejus*, h. e. poenam ſanguinis ſ. caedium ab Ephraimitis commiſſarum, *non curabit* ſc. dominus, qui nominativus in fine verſus legitur. Sic enim נָטַשׁ dicitur, de cura alicujus rei omiſſa. Ex altera ejus ſignificatione, *effundere*, poſſunt etiam verti, *poenam ſanguinis in eos effundet*. Sic *οἱ ό*, Syrus et Arabs. Vulgatus: *et ſanguis ejus ſuper eum veniet.*

SECTIO XVI. CAPVT XIII-XIV, 1

1. Olim quando Ephraimitae loquebantur, univer-
ſo Iſraëli terrorem injiciebant; nunc quoniam in Baa-
le culpam contraxerunt, haec eorum auctoritas eva-
nuit. 2. Jam vero auxerunt quoque peccata ſua, fe-
cerunt ſibi fuſum ſimulacrum ex argento, idola pro
phantaſia ſua, quae tota facta ſunt fabrili arte, atque
de his edicunt: qui ſacrificare voluerint, vitulis ſuam
teſtentur venerationem. 3. Propterea erunt ut nubes
matutina, ut ros mature abiens, ut gluma ab area ven-
to diſſipata, ut fumus e fumario. 4. Ego enim Jova
Deus veſter ſum, inde a quo Aegypto eſtis egreſſi — —
Deus ſum, praeter me nullum alium noſſe aut cole-
re debebatis, praeter me nullus eſt ſervator. 5. E-
go * pavi vos in deſerto, in terra ſiticuloſa — —
6. Iſti vero paſtu ſaturati, ſaturi animum extulerunt.
Hinc mei ſunt obliti. 7. Propterea eis ero quaſi leo,
a) uti pardus in viis inſidiabor, 8. Occurram illis ut
urſus

a) Verba textus ſunt: כְנָמֵר עַל־דֶרֶךְ אָשׁוּר. Antiqui interpretes omnes praeter Chaldaeum אָשׁוּר habent pro nomine proprio Aſſyriae. Sed hoc אֲשׁוּר ſcribitur. אָשׁוּר vero eſt a שׁוּר inſidiari, quod veriſſime de pardo dicitur. Eſt enim hoc animal inſidioſum, ſoletque arboribus inſidere atque in praetereuntes ex improviſo deſilire. cf. *Bochart* Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. VII. p. 788. Senſus utriusque ſimilitudinis eſt: partim aperta vi ut leo, partim ex inſidiis ut pardus vos aggrediar.

Digitized by Google

urſus orbatus, et laceratis eorum praecordiis uti leo eos ibi conſumam, ferae agreſtes eos diſcerpent — — 9. Ipſi eſtis, o Iſraëlitae! exitii veſtri cauſa, ego enim vobis fuiſſem auxilio. 10. Ubi eſt rex veſter? ubi eſt? Servet vos in omnibus urbibus veſtris: et magiſtratus veſter, quem ut et regem a me poſtulabatis. 11. Dedi *b*) vobis regem in ira mea, ſed ſuſtuli eundem per indignationem meam — 12. Ephraimi peccata uti faſciculus colligata et repoſita ſunt. 13. Dolores parturientis eum corripient — — *c*) Filius eſt inſipiens,

b) Recte, uti arbitror, *Grotius* ad h. l. Dedi jam ſaepius, id eſt, iratus peccatis veſtris ſivi vos per ſeditiones et caedes mutare reges pro lubitu. 2 Reg. XV. Nam de Saulo ſermo eſſe non poteſt, quia in ejus rejectione non tam poena fuit populi quam potius Sauli.

c) Notent tirones celerem tranſitum ab uno tropo ad alium. In priori membro propheta populum cum ipſa matre, in poſteriore cum filio naſcendo comparat. Omnino ſcriptores orientales in uſu troporum non ſolent eam ἀκρίβειαν adhibere, quam Graeci et Romani et patriae linguae ſcriptores. Igitur ad horum regulas non ſunt exigendi. Pulcra illis videtur creberrima illa mutatio imaginum, in quibus aliquam modo rei comparatae ſimilitudinem ſpectant, nulla ratione habita diſſimillimae caeterum naturae cum imaginis tum rei comparatae. Nobis vero ex noſtrae linguae ingenio, ex noſtris moribus aliter videtur. Abſit tamen ut hoc vitio vertamus ſacris ſcriptoribus, qui profecto, propterea quod ſuae linguae elegantiam ſectati ſunt, tam

piens, alioquin non tam diu haereret in matrice — — 14. Ego quidem liberarem eos ab inferno atque a morte redimerem. Forem peſtis tua, o mors, tuumque, o inferne, excidium. Sed nihil eſt, quod me ad decreti mei mutationem movere poſſit. 15. Nam cum *d*) ille ſc. *Ephraim* inter populares *ſuos* indomitae ſit naturae, ventus orientalis Jovae ex deſerto aſcendens fontes ejus arefaciet omnesque ſcaturigines exſiccabit: is omnes elegantioris ſupellectilis theſauros diripiet.
CAPVT XIV, 1. Rea facta eſt Samaria, nam contra Deum ſuum rebellavit; gladio peribunt *ejus cives*, parvuli eorum collidentur et gravidae eorum diſcindentur.

SECTIO

parum ſunt reprehendendi, quam noſtrorum temporum homines, quod ex ſuis moribus vivunt, ſcribunt, loquuntur.

d) הוא referendum eſt ad Ephraimum in verſ. 12. Ille igitur inter fratres h. e. inter reliquas regni Iſraelitici tribus *indomitae naturae* eſſe dicitur. Ita ego verto verbum יַפְרִיא quod h. l. tantum exſtat, formatum ex ſubſtantivo פֶּרֶא *onager*, quod et de homine feroce dicitur. Atque hanc explicationem praefero alteri pluribus interpretibus probatae, quae illud פרא cum פרה *fructuoſus fuit* comparat, quia ratio redditur, cur Deus conſilium ſ. decretum ſuum mutare non poſſit.

Digitized by Google

SECTIO XVII. CAPVT XIV

2. Revertimini, o Iſraëlitae, ad Jovam Deum veſtrum, iſta enim mala vobis evenient propter peccata veſtra. 3. *a*) Confitemini culpam veſtram: ad Jovam reverſi dicite: remitte nobis omnia peccata noſtra, placeat tibi hoc emendationis noſtrae initium, tunc offeremus tibi * ſacrificia labiorum noſtrorum. 4. Non amplius Aſſyriorum auxilia implorabimus, neque in Aegyptiorum equitatu fiduciam noſtram ponemus, neque imagines a nobis fictas ut Deum colemus; tu vero ſoles misereri eorum qui auxilio deſtituti ſunt. — — 5. *b*) Sanabo vulnera propter defectionem ipſis inflicta, liberali amore eos diligam, ira mea jam conſopita. 6. Ero Iſraëlitis quaſi ros, eſfloreſcent ut lilium, radices agent ut *arbores* Libani. 7. Late ſe diffundent eorum rami, et ſicuti oliva floreſcent: odorem emittent ut Libani *arbores*. 8. * Redibunt et ſub umbra ejus degent, augebuntur ut frumentum, germinabunt ut vitis, *c*) celebrabunt

C 2 eos

a) Hebr. *Sumite vobiscum verba*, nempe confeſſionis. Sic Chaldaeus.

b) Reſpondet Deus ad praecedentes preces populi.

c) זִכְרוֹ *Commemoratio ejus erit ut vinum Libani.* Senſus non eſt obſcurus: ut vinum Libani omnium eſt generoſiſſimum, ſic populus Iſraeliticus omnium erit nobiliſſimus

et

eos ut vinum Libani. 9. Quid igitur mihi amplius *d*) Ephraim cum idolis? * Afflixi quidem eum, ſed eundem iterum curabo. Similis erit abieti virenti, fructus vero ſuos per me accipiet. 10. *e*) Quis eſt ſapiens, qui haec conſideret? quis prudens, qui haec intelligat? Viae quidem Dei rectae ſunt, atque pii in iis incedunt, impii vero in eis offendunt.

et celeberrimus — Vini vero in Libano nati bonitatem verbis non ſatis poſſunt celebrare *Arvioſius* et *Troilo* in Itinerariis ſuis, qui eo a monachis monaſterii Maronitarum, in ipſo Libano exſtructi, ſunt exhilarati.

d) Chaldaeus et Syrus, quos nonnulli interpretes ſequuntur, poſt *Ephraim* ſupplent: *dicet*. Nempe Ephraimum promittere, ſe non amplius rem cum idolis habiturum eſſe. Sed illa ellipſis neceſſaria non eſt. Sunt verba Dei, qui inde a verſ. 5. usque ad 10. loquitur. Fraudi fuit ſine dubio interpretibus illud לִי, quod non meminerunt ſaepiſſime, ut et pronomina perſonalia, pleonaſtice poni, ut ſupra XII, 9.

e) Sunt verba prophetae, qui queritur paucos eſſe inter Iſraëlitas, qui ad haec attendant et feriam poenitentiam praeſcripto modo agere velint.

JOEL

Digitized by Google

J O E L

SECTIO I. CAPVT I

1. Joel Pethuelis filius juſſu Dei haec dixit : 2. Au-
dite ſenes, attendite omnes incolae : num accidit tale
quid vel veſtris vel majorum veſtrorum temporibus?
3. Narrate hoc filiis veſtris, et filii veſtri eorum na-
tis, et horum nati ſequenti generationi. 4. Quod
a) eruca reliquit, conſumet locuſta; quod lo-
cuſta reliquit, conſumet ſcarabaeus, et quod ſca-
rabaeus reliquit, conſumet Chaſil. 5. Expergiſcimini,

a) De his vel locuſtarum vel aliorum ejusdem generis inſecto-rum ſpeciebus conferatur omnino *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. IV. Cap. IV. et V, in quibus doctiſſimum commentarium ſcripſit in, ea, quae de locuſtis Capite I. et II. Joëlis leguntur. Deinde *Illuſtris Michaelis* in libro eruditiſſimo, cui titulum fecit : *Fragen an eine Geſellſchaft gelehrter Männer* etc. p. 89. Is quidem גָּזָם putat eſſe *erucam*, אַרְבֶּה nomen generale *locuſtae*, יֶלֶק ſpeciem *ſcarabaei*, nempe non *alati*, ſed in forma *vermiculi* exiſtentem, germanice *ein Engerling ;* חָסִיל animalculum, quod menſibus Auguſti et Septembris radices arrodat et ſementem perdat, germanice *eine Feldgrille.* Nos hebraicum nomen in verſione poſuimus, aliud ei reſpondens ignorantes.

o ebrii, et plorate, ejulate omnes vini potores, propter muſtum ori veſtro ereptum. 6. Etenim gens aſcendit contra terram meam fortis et innumerabilis; cujus dentes ſunt ut dentes leonis, et dentes molares ut leaenae. 7. Vitem vaſtat, ficum confringit, decorticando proſternit, ramos ejus dealbat. 8. Plange ut virgo lugubri veſtitu incedens propter maritum nuper ei junctum. 9. Sublatum eſt fertum et libamen e templo Jovae, lugent ſacerdotes Jovae miniſtri. 10. Ager vaſtatus eſt, luget terra; corruptum eſt frumentum, ſublatum muſtum, periit oleum. 11. Agricolae ſpe ſua exciderunt, vinitores lugent propter triticum et hordeum; meſſis enim ſpes periit. 12. Vitis deſolata eſt, ficus exaruit, malus punica, palma, malus cidonia, omnes omnino agrorum arbores exaruerunt, omne de hominibus gaudium eſt ſublatum. 13. Veſtitu lugubri amicti lugete ſacerdotes, ejulate arae miniſtri, noctem adeo in luctu tranſigite, Dei miniſtri, nam fertum et libamen ex aede Dei veſtri eſt ademtum. 14. Indicite jejunium, proclamate ferias, convocate ſenes, omnes omnino terrae incolas ad templum Jovae Dei veſtri, ad Jovam clamate — — 15. Heu diem illum! inſtat dies Jovae! vaſtatio ab omnipotente venit. 16. Nonne nobis videntibus cibus ablatus eſt, e templo Dei noſtri laetitia et gaudium? 17. Sata ſub glebis exaruerunt, cellae deſtructae, horrea everſa videntur ſublato frumento. 18. Quam ingemiſcit jumentum! greges

ar-

armentorum neſciunt quo ſe vertant, quod pabulo carent, balantum quoque greges plectuntur. 19. Ad te, Jova, clamo, aeſtus enim conſumſit loca paſcua, flamma incendit omnes agrorum arbores. 20. Jam quoque omnia agrorum animalia ad te clamant, exſiccatis omnibus aquarum fontibus, et ſaltuum manſionibus igne conſumtis.

a) SECTIO II. CAPVT II, 1-14

1. Tuba clangite Sione, clamate in monte meo ſancto, contremiſcant omnes terrae incolae. Venit enim dies Jovae, appropinquat. 2. Dies tenebricoſus et caliginoſus, dies nebuloſus et ater. Sicuti aurora ſuper montes ſe diffundit, ita populus venit multus et potens, qualis nec antea unquam fuit, nec poſtea ullis ſaeculorum annis futurus eſt. 3. Ante eum ignis conſumit, poſt eum flamma perdit. Terra, quae ante

 eum

a) De eadem a locuſtis infligenda calamitate novo ſermone agit propheta. Nihil vero in ejus deſcriptione eſſe fictum aut exaggeratum, nihil ingenio poëtico datum, ſed omnia veritati quam maxime conſentanea, teſtatur, praeter ſcriptores a *Bocharto* citatos, etiam recentior teſtis oculatus ejusmodi vaſtationis a locuſtis inflictae, cujus deſcriptio omni ex parte convenit cum ea, quam propheta dedit; nempe Anglus ille doctiſſimus *Shaw* in Itinerario, cujus verſio germanica Lipſiae prodiit 1765; dignus qui ad hunc locum conferatur pag. 165 ſeqq.

eum horto amoeniſſimo ſimilis erat, poſt eum deſertum erit vaſtatum, nec quidquam poterit ei effugere. 4. Speciem equorum habent, currunt ſicuti equites. 5. Sonum edunt uti currus, ſuper montium cacumina ſalientes, ſtrepitum edunt uti ignis ſtipulas conſumens, uti populus validus ad pugnam inſtructus procedit. 6. Ante eum gentes contremiſcunt, omnium vultus pallorem contrahunt. 7. Currunt ut milites, ut bellatores murum ſcandunt, ſua quisque via incedunt, non deflectunt de ſuis ſemitis. 8. Alii alios non urgent, ſuo quisque itinere vadunt et in tela coeco impetu feruntur. 9. Urbem pervadunt, in muris diſcurrunt, domos ſcandunt, per feneſtras intrant ut fures. 10. Eorum adventu terra contremiſcit, caelum movetur, ſol et luna obſcurantur, ſtellae ſplendorem ſuum amittunt. 11. Jova convocat ſuum exercitum, ingens eſt ejus multitudo, fortis, mandata Dei exequens. Ille vero Jovae dies inſignis eſt, valde terribilis, quem nemo ſuſtineat — — 12. Redite igitur ad me, inquit Jova, toto corde veſtro, jejunando, plorando, lugendo — 13. Sed non tam veſtes veſtras, quam corda potius veſtra ſcindite, quando ad Jovam Deum veſtrum revertimini. Quoniam enim benignus eſt, miſericors, tardus ad iram, inſignis clementiae, et lubenter a poena inferenda abſtinet: 14. fortaſſe nobis reconciliatus terram iterum fertilem reddet, ut ferta et libamina ei offerre poſſimus.

SECTIO

a) SECTIO III. CAPVT II, 15-27

15. Tuba clangite Sione, indicite jejunium, proclamate ferias, 16. populum convocate, indicite conventum, congregate ſenatores, adducite parvulos et lactantes; ſponſus prodeat e conclavi ſuo, et ſponſa e ſuo penetrali. 17. Inter veſtibulum et altare ſacerdotes ſacra Jovae curantes lugeant: parce, Jova, inquient, populo tuo, noli eum exponere opprobrio gentium, quae ei dominentur: quid negent gentes, ei Deum ſuum adeſſe? 18. Immo ulciſcetur Jova terram ſuam, parcet populo ſuo. 19. Exoratus Jova ſuis dicet: En ego mittam vobis frumentum, muſtum, oleum; quibus ſatiemini, non exponam vos amplius gentium ludibrio. 20. Etenim *iſtud locuſtarum agmen*, quod e Septentrione venit, amovebo a vobis et propellam in terram ſiccam et deſertam *b*); primam earum partem abigam ad mare orientale *c*), et poſtremam ad mare poſtremum *d*), ita ut mortuae foetorem exhalent; *e*) nam ma-

a) Novam cum hoc verſu ſectionem incipiendam eſſe, patet ex ejus initio ſecundae ſectioni ſimillimo.

b) h. e. in Arabiam deſertam.

c) h. e. ad mare mortuum, quod Hieroſolymae ad Orientem ſitum eſt.

d) h. e. mediterraneum.

e) Nonnulli interpretes verba hebraea כִּי הִגְדִּיל לַעֲשׂוֹת de

magna faciam. 21. Noli timere, o terra, exſulta, laetare, nam magna faciam. 22. Nolite timere agreſtes pecudes, nam loca paſcua germinabunt, arbores fructum ferent, ficus et vitis largos fructus emittent. 23. O Sionitae exſultate, laetamini de me, Deo veſtro, dabo vobis * cibi copiam. Large enim demittam pluviam autumnalem et vernam primo ſtatim menſe: 24. ita ut plenae ſint areae frumento, et torcularia muſto et oleo redundent. 25. Atque ita reddam vobis proventus eorum annorum, quos conſumſerant locuſtae, tauri ſcarabaei, Chaſil et erucae, ingens ille meus exercitus, quem in vos miſero. 26. Tunc ad ſatietatem comedetis, meque celebrabitis, qui tam mirifice vobiscum egerim, immo ſpes veſtra vos nunquam fallet. 27. Et ſic intelligetis me inter vos verſari, me Jovam Deum veſtrum vos tueri et alium nullum, immo ſpes veſtra vos nunquam amplius fallet.

SECTIO IV. CAPVT III

1. Deinde aliquando futurum eſt, ut ego ſpiritu meo impleam omnis generis et conditionis homines: tunc filii

de locuſtis intelligunt, in hunc ſenſum: quia nimium fecerunt, ſ. nimis terram vaſtarunt. Ita οἱ ό, Syrus, Chaldaeus, Vulgatus. Sed puto rectius ea ut verba Dei loquentis accipi, et addita eſſe ad fidem faciendam liberationi inexpectatae, quemadmodum ſub finem ſequentis verſus eundem in finem repetuntur.

filii filiaeque veſtrae vaticinabuntur, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, et juvenes veſtri viſiones videbunt. 2. Quin et in ſervos et ancillas illis temporibus effundam ſpiritum meum. 3. Tum vero etiam prodigia in caelo et in terra edam, ſanguinem, ignem et fumum inſtar columnae aſcendentem. 4. Sol in tenebras convertetur et luna in ſanguinem, antequam veniat dies ille Jovae magnus et terribilis. 5. Quicunque vero Jovam invocaverit, ſervabitur. Erunt enim in monte Sion atque Hieroſolymae qui evadant, quemadmodum Jova promiſit, et ſuperſtites quidam, quibus favebit.

SECTIO V. CAPVT IV, 1-9

1. Illis autem diebus eoque tempore, quo Judaeos et Hieroſolymitanos captivos reducam, 2. congregatas a me omnes nationes in *a*) vallem Joſaphati deducam, ibique de illis judicium habebo, quod populum meum, nempe Iſraëlem mihi ſacrum, inter gentes diſſiparunt meamque terram partiti ſunt: 3. quod ſorte de populo meo

a) *Vallis Joſaphat* hoc loco improprie dicitur. Alludit ſine dubio propheta ad hiſtoriam, quam legimus 2 Paral. XX, 16. ſeqq. Alibi, praeter h. l. et infra verſ. 12, hujus vallis mentio non fit, cf. *Relandi* Palaeſtina pag. 262. Metaphorice locus indicatur, ubi Deus vindictam ſumere promittit de populi ſui hoſtibus, uti quondam fecit ſub rege Joſaphato. Sed ſimul ineſt alluſio ad etymologiam *Jova judicabit*.

meo jacta puerum cum ſcorto permutarunt, et puellam pro vino, qnod biberent, vendiderunt. 4. Quid? an vos Tyrii, Sidonii, vosque Philiſtaei omnes, an vos damnum aliquod mihi inferre aut injuriam facere audebitis? mox, mox vobis rependam illam injuriam veſtram in caput veſtrum. 5. Siquidem vos argentum et aurum meum abstuliſtis, resque mihi cariſſimas intuliſtis in veſtra palatia. 6. Judaeos vero civesque Hieroſolymitanos vendidiſtis Graecis, ut eos quam longiſſime a finibus ſuis removeretis. 7. En vero excitabo eos inde, quo eos vendidiſtis, vobisque hanc veſtram injuriam in caput veſtrum regeram. 8. Vendam filios filiasque veſtras per Judaeos, qui eos Sabaeis genti remotiſſimae vendent. Id ego Jova minitor.

a) SECTIO VI. CAPVT IV, 9-21

9. **P**roclamate hoc inter gentes: bellum parate, milites conquirite, adſint, conveniant omnes bellatores. 10. Cudite ligones veſtros in gladios, et falces veſtras in jacula: infirmus fortem ſe dicat. 11. Congregamini omnes gentes finitimae! convenite, *b*) franget Jova heroas

a) Novam pericopam, ejusdem tamen cum praecedente argumenti, in hoc verſu incipere docet initium ejus, atque etiam formula ſolemnis, qua praecedens finitur.

b) Ita Chaldaeus et Syrus vertunt vocabulum הַנְחַת quod h. l.

roas veſtros; 12. Adſint et conveniant gentes in valle Joſaphat, ibi ego judex ſedebo gentium omnium finitimarum. 13. Immittite falcem, nam maturuit meſſis. Agite, deſcendite, refertum eſt prelum, exundant torcularia — graviſſima erit iſta calamitas. 14. Ingens hominum multitudo adeſt in valle iſta judicii — — inſtat ille Jovae dies in valle judicii. 15. Sol et luna obſcurabuntur, ſtellae amittent ſplendorem ſuum. 16. Dira pronunciabit Jova e Sione, ex Hieroſolymis edet vocem ſuam, qua caelum et terra movebuntur. Sed refugium erit populo ſuo, robur Iſraëlitis. 17. Tunc intelligetis me Jovam Deum veſtrum eſſe, habitantem Sione, in monte meo ſancto: Tunc ſancta erit Hieroſolyma, nec peregrini eam amplius pervadent. 18. c) Eo tempore montes muſtum deſtillabunt, et colles lacte fluent: omnes Judaeae alvei aqua ſcatebunt, et fons e Jovae domo ortus omnem vallem Schittim irrigabit. 19. Aegyptus vero vaſtabitur, et Idumaea in ſolitudinem redigetur; propter crudelitatem in Judaeos exercitam, propter caedes in eorum terra patratas. 20. Judaea vero et Hieroſolyma per plures generationes diuturna pace

h. l. legitur, ut ſit nempe a חחת forma chaldaica. Altera explicatio, qua a נחת *deſcendit* derivatur, admodum coacta eſt et contextui parum convenit.

c) De ſenſu imaginis hujus poeticae vid. Illuſtris *Michaelis* in nota 22 ad *Lowthum* de ſacra poeſi Hebraeorum.

pace fruentur. 21. Ita tandem ulciſcar ſanguinem eorum, ego Jova, qui in Sione habito.

AMOS

SECTIO I. CAPVT I, 1. 2

1. Effata Amoſi paſtoris Thekoenſis, quae contra regnum Iſraëliticum protulit, temporibus Uſiae regis Judae et temporibus Jerobeami Joaſi filii regis Iſraëlis, biennio ante terrae motum. 2. Ita vero dixit: Jova ex Sione dira pronunciat, atque ex Hieroſolyma edit vocem ſuam: *a*) Nempe paſtorum ſtationes vaſtabuntur et Carmeli vertex exareſcet.

SECTIO II. CAPVT I, 3 - II, 16

3. Haec dicit Jova: *b*) Multa quidem crimina Damaſcus

a) Haec verba peculiare quoddam vaticinium continere, patet ex eo, quod ſequentia nullam cum hoc habent connexionem, ſed pro argumenti diverſitate diverſo etiam tempore dicta videntur. Utrum vero pluribus verbis propheta illud expoſuerit, an his paucis tantum protulerit, neque affirmare volumus, neque negare.

b) Verba hebraica עַל שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי דַמֶּשֶׂק וְעַל אַרְבָּעָה לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ varie ab interpretibus explicantur. Mihi quidem

maſcus commiſit, hoc vero inprimis facit, *c*) ut impleam quod minatus ſum, quod ferreis tribulis contriverint Gileaditicae regionis incolas. 4. Propterea ignem immittam in domum Haſaelis, qui palatia Benhadadi conſumet: 5. praeterea frangam Damaſci repagula, perdam incolas vallis Aven et ſceptrum tenentem ex Beth Aden; Syriae populus Cyrenen abducetur, inquit Jova — — 6. Haec dicit Jova: Multa quidem peccata commiſit Gaza, hoc vero inprimis efficit ut minas impleam, quod nempe magnum hominum numerum captivum ab-

dem ſenſus inveſtigatio, ſi ad apodoſin ſ. ad rationem a propheta redditam attendimus, non difficilis videtur. Manifeſte vero in hac docetur, quodnam ſit *quartum* illud crimen, ob quod Deus poenam differre diutius nolit. Igitur *tria* peccata, quae quartum illud anteceſſerint, omnino omnia indicant, quae praeter illud quartum commiſſa ſunt, numero certo pro incerto poſito. Similis phraſis eſt Prov. XXX, 15. 18. 21. Job. V, 19. — Quanquam vero propheta ſingulas longioris hujus pericopae partes hac formula incipit, quae, ut dictio proverbialis, lingua adhuc vivente, vi non erat deſtituta, ego tamen eandem in verſione retineri poſſe non exiſtimavi. Nam latinis lectoribus obſcura eſt, et nova verſione indiget, propterea etiam in ſequentium *ῥήσεων* initiis, ubi repetita eſt, in ea vertenda variavi.

c) לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ *non avertam illud.* Eſt Litotes: certiſſime puniam, et exequar decretum illud meum, cf. Num. XXIII, 20.

abduxerint et Idumaeis tradiderint. 7. Propterea muros Gazae igne incendam, isque ejus palatia conſumet. 8. Perdam Asdodae incolas et ſceptrum Askalonis tenentem, manum meam convertam adverſus Ekronem, omnesque Philiſtaeorum reliquiae peribunt, inquit Jova — — 9. Haec dicit Jova: Tyrus quidem ſaepe peccavit, ſed tandem adeo graviter, ut non poſſim poenam avertere: immemores nempe fraternae amicitiae permagnum captivorum *Iſraëlitarum* numerum Idumaeis tradiderunt: 10. Ignem propterea immittam muris Tyri, qui ejus palatia conſumet — — 11. Haec dicit Jova: Idumaei peccatorum ſuorum numerum novo aliquo adauxerunt, quod punire non intermittam: gladio nimirum perſecuti ſunt conſanguineos ſuos, atque adeo in mulieres gravidas ſaevierunt. Sine fine eorum ira rapuit, ſuamque atrocitatem nullo modo cohibuerunt: 12. Propterea Temanem igne incendam, is Bozrae palatia conſumet — — 13. Haec dicit Jova: Superioribus peccatis Ammonitae hoc graviſſimum addiderunt, quod certiſſime puniam: gravidas mulieres Gileadenſium diſſecuerunt, ut ſuos fines dilatarent. 14. Muros Rabbae igne ſuccendam, qui ejus palatia abſumet: cum clamore tempore praelii, cum turbine die procelloſo. 15. Rex eorum in captivitatem abibit, una cum proceribus ſuis. Hoc Jova minatur — —

CAPVT II, 1. Haec dicit Jova: Cum antea multis modis, tum nunc graviſſime Moabitae peccarunt, ut

non

non poſſim non eos punire; oſſa regis Edomitarum in cineres combuſſerunt. 2. Propterea terrae eorum ignem immittam, is arces Kiriothenſes abſumet, et omnino finem habebit regnum Moabiticum ingenti cum tumultu et belli ſtrepitu. 3. Perdam ejus principem, eorumque duces eodem tempore interficiam. Haec Jova minatur — — 4. Idem ille Jova Judaeis dicit: Non poſſum me ulterius continere, quin propter tot tantaque eorum peccata in eos animadvertam. Legem meam ſpreverunt, ſtatuta ejus non ſervarunt, eadem falſiſſima idola, quae majores eorum ſectati ſunt, ipſos quoque ſeduxerunt: 5. Propterea ignem Judaeae immittam, is Hieroſolymae palatia conſumet — — 6. Haec dicit Jova: Iſraëlitis non poſſum ulterius indulgere, non ſolum propter peccata eorum antea jam commiſſa, ſed etiam propter ea in quibus quotidie pergunt. Vendunt juſtum argento et pauperem *a*) viliſſimo pretio. 7. *b*) Delectantur luctu tenuium, pauperum res pervertunt, pater et filius cum eadem puella rem habent, qui-

a) בַּעֲבוּר נַעֲלָיִם pro *pari calceorum*, dictio proverbialis, *viliſſimo pretio*. cf. VIII, 6. Joel IV, 3.

b) Textus hebraeus ad verbum verſus ita habet: *anhelant ad pulverem terrae in capite tenuium*. Signum erat luctus et triſtitiae, caput pulvere conſpergere. cf. Job. II, 12. Hinc ſenſus eſt: optant, ut alii lugeant, et quantum in ipſis eſt, hoc efficere ſtudent.

quibus ſactis nomen meum ſanctiſſimum profanant. 8.
Reclinant ſuper *c*) ſtragulis pignoratis juxta idolorum
aras, et pecunias hominibus innocentibus extortas com-
potationibus abſumunt in templis deorum ſuorum: 9.
Atqui ego veſtra cauſa perdidi Amorrhaeos, gentem
eximiae magnitudinis et roboris inſignis, eosque radici-
tus exſtirpavi. 10. Vosque ex Aegypto eductos in
deſerto quadraginta annos duxi, ut hanc Amorrhaeo-
rum terram occupare poſſetis. 11. Excitavi e filiis ve-
ſtris prophetas, atque ex adoleſcentibus veſtris Naſi-
raeos. Nonne haec omnia vera ſunt, o Iſraëlitae?
inquit Jova. 12. Vos vero Naſiraeis vinum datis et
prophetis vaticinari interdicitis. 13. En ego premam
vos, ut plauſtrum manipulis onuſtum premit. 14.
Peribit effugiendi occaſio veloci, nihil juvabit fortem
robur ſuum, miles vitam ſuam tueri non poterit; 15.
qui arcum prehendit, non conſiſtet; pedibus velociſſi-
mus non elabetur, nec eques evadet, 16. militum ani-
moſiſſimus nudus effugiet eo tempore, inquit Jova.

SECTIO III. CAPVT III, 1-8

1. Audite hoc, quod ego vobis dicam, o Iſraëlitae,
vobis omnibus quos ex Aegypto eduxi. 2. Cum vos
prae omnibus aliis terrarum orbis nationibus tantope-
re dilexerim, animadvertam etiam in tot veſtra pec-
cata

c) בֶּגֶד non ſolum *veſtis* eſt, quae induitur, ſed etiam *ſtra-
gula* 1 Sam. XIX, 13.

cata — — *a*) 3. Num duo iter una ingrediuntur, niſi animis inter ſe conſentiant? 4. *b*) Num rugit leo in ſilva, ſi praeda ei non obveniat? aut vocem emittit e luſtro ſuo, niſi quidquam ceperit? 5. *c*) Num cadit avis in laqueum, niſi ei tendicula poſita ſit? *d*)

 num

a) Quaeſtiones hae Amoſi parabolicae, uti vocantur, verſ. 3-7. pertinent ad ſententioſum dicendi genus Orientalium, quo per comparationes docent aut ſimilitudines, earum applicationem autem lectoris judicio relinquunt. Oritur hinc nonnunquam ambiguitas, dum applicatio diverſa poteſt ratione inſtitui. In hoc quidem loco unum prophetae ſcopum fuiſſe exiſtimem, nempe hunc: prophetas fide dignos eſſe, quod ex divina revelatione omnia dicant. Is ſenſus eſſe videtur primae parabolae in hoc verſu: Non poſſent prophetae praedicere certo eventura, niſi a Deo, qui ſolus futura novit, reſciverint.

b) Teſtantur rerum naturalium ſcriptores, leonem non rugire, niſi praedam ceperit aut capturus ſit, ad terrorem aliis animalibus injiciendum, cf. verſ. 8. Senſus igitur eſt: Quemadmodum leo non rugit, niſi praedam videat, qua viſa ſtatim irruit eaque potitur: ita minae meae, quas per prophetas vobis annuncio, non fruſtraneae erunt, cum ſummo damno veſtro earum implementum videbitis.

c) Ut avis non cadit in laqueum temere, ita homines non incidunt in mala caſu et fortuito: prophetae indicant eis, quid ſit eis eventurum ex Dei voluntate.

d) Ita vos non effugietis poenas, quas Deus vobis per prophetas annunciat.

num tolli ſolet laqueus, quin aliquid ceperit? 6. *e*) Num tubae clangor exoritur in urbe, quin homines pavidi concurrant? *f*) aut ullum in urbe malum exiſtit, quod Jova non fecerit? 7. *g*) Atqui Jova Deus nullum ſolet malum immittere, niſi hoc ſuum conſilium prophetis ſuis miniſtris revelarit.

h) SECTIO IV. CAPVT III, 8 - 15

8. Leone rugiente quis non timeat? Domino Jova loquente, quis non vaticinetur? 9. Nunciate hoc per arces Asdodenſes, per omnes Aegypti arces; dicite: convenite in Samariae montibus, et videte, quae ſint ibi injuriae, quae ubique violentiae. 10. Recte factis nequaquam delectantur, inquit Jova, ſed theſauros in aedes ſuas congerunt vi atque injuria partos. 11. Propterea haec Jova Deus minatur: Calamitas huic terrae et toti quidem orietur, tunc dejicieris ab illa tua potentia, tunc aedes iſtae tuae diripientur. 12. Haec dicit

e) Sed ad prophetarum voces nemo attendit, nemo de avertendo malo ſollicitus eſt.

f) Ita etiam veſtra mala vobis non caſu aut fortuito, ſed ex divina voluntate evenient.

g) Nempe hunc in finem, ut hi homines moneant, ut poenitentiam agant, atque hac ratione malum a ſe avertant.

h) Novae ſectionis indicium eſt, quod ſermo ab univerſo populo ad regnum Iſraëliticum in ſpecie vertitur.

Digitized by Google

cit Jova: Quemadmodum paſtor ex ore leonis duo crura aut auris particulam eripit *i*): ſic Iſraëlitae, Samariae incolae nobiles, ſtragulis Damaſcenis inſidentes ſervabuntur *k*) — — 13. Audite hoc, atque de eo etiam commonefacite Jacobitas, inquit Dominus Jova Deus omnipotens: 14. Quando ego Iſraëlitas propter peccata ſua puniam, animadvertam etiam in altaria Bethelis, capitellis eorum decuſſis in terram ipſa dejicientur. 15. Praeterea deſtruam domum hibernam aeque ac aeſtivam;

i) quod facere non poteſt niſi praeſentiſſimo vitae ſuae periculo.

k) Sic locum hunc difficillimum perquam probabiliter explicavit S. R. *Doederlein* in Additamentis ad Annotationes Grotii in V. T. Nempe בִּפְאַת מִטָּה *angulus lecti ſ. ſtrati* eſt, quod ſatis conſtat, locus maxime honorificus apud Orientales: עֶרֶשׂ vero, (quod h. l. ſynonymum eſt τοῦ מִטָּה) ſtratum dicitur בִּדְמֶשֶׁק *ſtragulis Damaſcenis.* Non raro enim urbium nomen tribuitur etiam mercibus inde deductis. Damaſci vero linea, uti olim Ezech. XXVII, 18. ita etiam nunc in Oriente celebrantur. Sic ſenſus eſt horum verborum minime coactus: etiam nobiliores et opulentiores Samariae incolas in illa urbis deſtructione eſſe perituros. Objici quidem poſſet, ſecundum hanc explicationem dicendum fuiſſe בְּעֶרֶשׂ דְּמֶשֶׁק quod Hebraei ſubſtantiva adjectivis ſolent praeponere. Sed multas habere hanc regulam exceptiones, inprimis in eis, quae vim aliquam et magnitudinem ſubjecti indicant, obſervatum eſt a me ad *Glaſſii* Philol. S. p. 18.

vam; tunc diruentur domus ebore ornatae, et magna iſta domorum copia ſolo adaequabitur: Haec Jova dixit.

SECTIO V. CAPVT IV

1. Audite hoc, vos divites et potentes Samariae, *a*) qui tenues injuria afficitis et opprimitis pauperes, qui dominis veſtris dicitis: afferte, quod bibamus. 2. Jurat Dominus Jova per ſanctitatem ſuam, futurum eſſe ut vos contis auferamini, et, ſi qui reliqui ſint, hamis piſcatoriis. 3. * Per muri ruinas ſinguli egrediemini, et in Armeniam * abducemini. 4. Pergite modo, inquit Jova, Bethele peccare et Gilgale augere culpam veſtram; afferte ſingulis matutinis ſacrificia veſtra, et tertio quoque die decimas. 5. Adolete * de iſtis rapinis euchariſtica, et ſacra voluntaria proclamate et indicite; ita enim facere amatis, Iſraëlitae, inquit Jova Dominus. — — 6. Quanquam vos *b*) fame

a) De tropo, qui eſt in textu hebraeo, et de neceſſitate ejus cum verbis propriis permutandi, dixi in praefatione. Sed fuit qui moneret, prophetam non viros ſed foeminas reprehendere, quoniam genere foeminino uteretur, *vaccas* Baſanis, non *boves* allocutus; propterea quoque hoc ſubjectum in verſione debuiſſe indicari. Sed non putem hanc generis diverſitatem nimis eſſe urgendam. In ſequentibus, ubi propheta verbis propriis iterum utitur, non eſt indicium mutati objecti. Praeterea quoque conſtat mulieres orientales ad res civiles curandas non admitti.

b) In textu hebraeo eſt elegans periphraſis *famis;* dedi vobis נקיון שנים *immunitatem dentium.*

me in omnibus urbibus veſtris cibique penuria in omnibus oppidis veſtris affligerem, tamen ad me non rediiſtis, inquit Jova. 7. Quanquam pluviam a vobis tribus menſibus ante meſſem cohiberem, et in hanc urbem pluens in illam non pluerem, aliusque fundus complueretur, alius pluviae expers areret: 8. Ita ut duo triave oppida ad unum oppidum confluerent aquandi cauſa, neque ſatiarentur: tamen ad me non rediiſtis, inquit Jova. 9. Afflixi vos uredine et rubigine, hortos veſtros multos, vineas veſtras, ficeta et oliveta veſtra conſumſit eruca; nec tamen ad me rediiſtis, inquit Jova. 10. Peſtem vobis immiſi, uti olim Aegypto feci; gladio interfecti ſunt juvenes veſtri, equi veſtri abacti, et cadavera in caſtris occiſorum foetorem * in nares veſtras exhalarunt; nec tamen ad me rediiſtis, inquit Jova. 11. Veſtrorum oppidorum quaedam everti, uti olim Sodomam et Gomorrham everti, ita ut ſimiles ſitis torri ex incendio erepto; nec tamen ad me rediiſtis, inquit Jova. 12. Faciam igitur vobis, o Iſraëlitae, quod minatus ſum. Sed quoniam ita faciam, me Deum veſtrum ante placare ſtudete. 13. Montes condidi, ventum creavi, homini quae ſint mea conſilia indico, *c*) res proſperas

c) Verba tropica, quae ſunt in textu hebraeo, cum propriis perſpicuitatis cauſa commutavi. Verba textus ita habent: *faciens auroram et caliginem*, *gradiens ſuper excelſa terrae.* Mihi quidem haec verba tropice dicta videntur, quia ille in-

ras et adverſas induco, ſuperbe ſe efferentes contero. Jova Deus omnipotens nomen meum eſt.

SECTIO VI. CAPVT V, 1-17

1. Audite hoc, quod dicam: naenias in vos profe-
ram, o Iſraëlitae: 2. Cecidit, nec iterum ſurget, vir-
go Iſraël; in terram dejecta eſt, non eſt qui eam
erigat — — 3. Haec enim minatur Dominus Jova:
quae de urbibus Iſraëliticis mille cives habebat, cen-
tum habebit ſuperſtites, et quae centum alebat, decem
habebit ſuperſtites: 4. Propterea haec dicit Jova
Iſraëlitis: quaerite me, et viveris; 5. nec quaerite Be-
thelem, nec Gilgalem venite, nec Berſebam abite;
Gilgal enim captiva abducetur, et Bethel redigetur in
nihilum; 6. Quaerite Jovam et vivite, ne invadat
ut ignis Joſephitas, qui conſumat, nemine in exſtin-
guendo * Iſraëlitis auxilium ferente. — — 7. Sed iſti
jus in amariſſimam injuriam pervertunt, et juſtitiam
pedibus conculcant. 8. * Deſerunt eum, qui Plejadas,
qui Orionem fecit, qui mutat lucem in tenebras, et di-
em * nocte obſcurat, qui convocat aquas maris, easque
in terram effundit. Jova eſt nomen ejus. 9. Qui in-
ducit vaſtationem ſuper potentem, facitque ut loca
munita deſtruantur — — 10. Sed iſti oderunt,
qui

inceſſus Dei per terrae excelſa non aliter dicitur, nec intelligi poteſt. Quodſi malit aliquis propriam retinere ſignificationem, ego quidem non repugno.

qui eorum injuſtitiam reprehendit, et averſantur, qui aequitatem commendat. 11. Quoniam igitur tenues opprimitis, et frumentum ab iis oblatum accipitis, domos, quas quadrato lapide exſtruitis, non habitabitis, et vinearum praeſtantiſſimarum, quas plantaſtis, vinum non bibetis. 12. Novi enim ego multa peccata veſtra, et ſcelera veſtra graviſſima. *Novi ego* qui adverſantur juſto, muneribus corrumpuntur, et pauperes iure ſuo defraudant. 13. *a*) Ad haec cum tempora ſint corruptiſſima, tacet qui ſapit — — 14. Bonum quaerite, non malum; ita enim felices eritis, et tunc Jova Deus omnipotens vere vobis aderit, quemadmodum gloriamini. 15. Odio habete malum, et diligite bonum, atque juſtitiam in loco judicii ſtabilite, fortaſſe gratioſum ſe praeſtet Jova Deus omnipotens Joſephitarum reliquiis. 16. Profecto enim haec Jova Deus omnipotens, Dominus minatur: in omnibus plateis planctus audietur, in omnibus vicis ejulabitur, agricolae ad luctum et lamentandi periti ad planctum vocabuntur. 17. In omnibus vineis planctus audietur, me inter vos graſſante, inquit Jova.

b) SECTIO VII. CAPVT V, 18-27

18. Vae his, qui Jovae diem videre cupiunt! quid vos

a) Tacet, ne aliis nihil proſit, ſibi vero noceat.

b) Novam ſectionem incipere, argumentum docet. Propheta enim reprehendit eos, qui ejus comminationes ridebant atque illud periculum procul putabant abeſſe, cf. Cap. VI, 3.

vos illum diem praeoptatis? tenebricoſus erit, non lucidus. 19. Perinde ac ſi quis leonem effugerit et occurrat urſo, aut domum ingreſſus, dum manum parieti applicat, anguis eum mordeat. 20. Sane ille Jovae dies tenebricoſus erit, non lucidus; caliginoſus, non ſplendidus. 21. Odi, faſtidio dies feſtos veſtros, nec odore ſolennitatum veſtrarum delector. 22. Quodſi mihi ſacrificia aut alias facitis oblationes, tamen mihi non placent, nec iſta pro ſalute opima reſpicio. 23. Ceſſet ille carminum veſtrorum ſtrepitus, nolo ego cantum nabliorum veſtrorum audire. 24. Fluat ut aqua aequitas, et juſtitia ut fons perennis. 25. c) Num vi-

c) De hoc loco, in quo explicando tot viri docti laborarunt, omnium optime, ni fallor, egit *Jablonski* in Commentatione, cui titulum fecit: *Remphah*, Aegyptiorum Deus, ab Iſraëlitis in deſerto cultus. Lipſiae 1731. 8. Prima quidem difficultas eſt in verſ. 25, ad quem quaeritur, quomodo propheta neget, Iſraëlitas in deſerto per quadraginta annos Deo ſacrificia obtuliſſe, cum contrarium potius ex Exod. XXIV. Num. VII. et IX. colligi poſſit, atque etiam improbabile videatur, Moſen permiſiſſe, ut leges de ſacrificiis, ab eo modo latae, omnes negligerentur. Ad hanc difficultatem removendam viri docti varias rationes attulerunt, ex quibus haec inprimis probabilis videtur: leges de ſacrificiis eorumque ordine et modo eum in finem a Deo datas fuiſſe, ut non tam in deſerto, quam in terra Cananaea obſervarentur, et propterea maximam partem in deſerto fuiſſe neglectam. cf. Deut. XII, 8 ſeqq. Quibus ego hoc addo:

Digitized by Google

viſtimas aut ferta mihi obtuliſtis quadraginta annis in deſerto, o Iſraëlitae? 26. Quin potius ſacellum regis ve-

addo: prophetam non reprehendere populum propter cultum leviticum in deſerto omiſſum, ſed docere, Deum non tam victimis delectari, quam potius juſtitiae et pietatis ſtudio, quod verſu praeced. 24. commendarat; propterea eum paſſum fuiſſe, ut ille ſacrificiorum cultus omitteretur; populum vero abuſum eſſe iſta libertate ad alium cultum idololatricum exercendum, quem verſ. 26. deſcribit. Atque hic quidem qualis fuerit, a *Jablonskio* l. c. optime demonſtratum eſt. Nempe Iſraëlitae, Aegypto modo egreſſi, Aegyptiorum idololatriam inprimis imitati ſunt. Illi vero Solem, Lunam et reliqua aſtra ſub variis imaginibus coluerunt. Solem quidem Regem caeli et Lunam Reginam vocarunt: atque illum Amos ſub nomine כִּיּוּן indicat. Nam hanc hujus vocabuli ἅπαξ λεγ. ſignificationem eſſe, probabiliter colligitur ex uſu ejus apud Arabes, qui Saturnum eo nomine vocare ſolent. (*Golius* pag. 2082.) Atque ab hac explicatione non diverſa eſt verſio graeca, a Stephano quoque citata Act. VII, 43. quae כִּיּוּן per ῥεμφάν interpretatur. *Druſius* quidem exiſtimavit, corruptam eſſe hanc vocem ex hebraica כיון, quam illi interpretes, Caph cum Reſch permutantes, Rephan vertiſſent, ex quo deinde Remphan ortum ſit. Quam *Druſii* conjecturam *Vitringa* in Obſſ. S. Lib. II. Cap. I. pluribus ornavit. Sed *Jablonskius* plane docuit, vocem eſſe Aegyptiacam, quae *regem caeli* ſignificet, atque eo nomine olim ab Aegyptiis *Solem* vocatum eſſe; graecos igitur interpretes rerum Aegyptiacarum non imperitos rectiſſime hoc vocabulum adhibuiſſe, cum ſermo eſſet

veſtri, nempe Cijunem imaginem veſtram, ſtellàm Deum veſtrum, quam vobis feceratis, portaſtis. 27. Propterea vos ultra Damaſcum relegabo, inquit Jova Deus omnipotens.

SECTIO VIII. CAPVT VI

1. Vae his, qui Sionem * contemnunt, monti Samariae fidentes, *a*) qui gentium praeſtantiſſimarum principes habentur, ad quos omnes Iſraëlitae confluere ſolent. 2. Abite Calnam et videte, hinc vos conferte Chamatam magnam, deſcendite inde Gatham Philiſtaeorum, * (quae ſunt horum regnorum celeberrima,) *b*) num terra veſtra illorum terris ſit deterior? — — 3. Vae his, qui tempus judicii divini procul abeſſe dicunt, et ſedem iniquitatis ſtabiliunt; 4. qui in lectis eburneis cubantes luxuriantur ſuper cubilibus ſuis, et veſcuntur agnis pinguiſſimis vitulisque

ſet de idololatriae ſpecie, cujus origines ex Aegypto eſſent repetendae.

a) Verba textus ſunt: נְקֻבֵי רֵאשִׁית הַגּוֹיִם Verbum נקב dicitur etiam in bonam partem, *celebrem eſſe;* hinc נָקִיב apud Arabes ſignificat *ducem, tribunum.*

b) Interrogatio negans. Applicatio deeſt, ex contextu facile ſupplenda: Cur ergo vos adeo ingrati eſtis erga eum, qui plura vobis dedit, quam vicinis veſtris?

Digitized by Google

que ſaginatis: 5. qui cantillant ad ſonum nablii, variaque inſtrumenta muſica, uti David, excogitarunt. 6. Qui ex plenis poculis vinum bibunt, et unguentis praeſtantiſſimis ſe oblinunt, de calamitate patriae ſuae parum ſolliciti. 7. Propterea etiam iſti *voluptarii* aliquando primi abducentur captivi, et tunc ceſſabit eorum ſtrepitus. 8. Juravit enim Dominus Jova per ſe ipſum in hunc modum: Deteſtor ego Jova Deus omnipotens ſuperbiam Jacobitarum, odi eorum palatia, tradam urbem, et quidquid in ea eſt, hoſtibus. 9. Quodſi tunc forte in una domo decem reliqui fuerint, hi quoque morientur; 10. his ſublatis ad funus curandum a cognato aut pollinctore, hic quaeret ex eo, qui forte in interioribus domus partibus decumbit: eſtne adhuc apud te aliquis ſuperſtes? nemo, inquiet. Tunc ille, tace, inquiet, *c*) fruſtra ſunt omnes querelae de Dei ſeveritate. 11. Futurum nempe eſt, ut ex Dei decreto *d*) major domus prorſus deſtruatur, minor vero gravi

c) Verba textus ſunt: כִּי לֹא לְהַזְכִּיר בְּשֵׁם יְהוָֹה Alii interpretes ea de mortuis iſtis et ſepultis explicant, ſic: haec eis evenerunt, quia nullam Dei memoriam uſurparunt, h. e. propter impietatem ſuam. Ita Syrus et Chaldaeus. Alii pro verbis hominis deſperantis habent: fruſtra ſunt preces, nam et nobis moriendum eſt. Hunc ſenſum in verſione indicavi.

d) *Major domus* eſt regnum decem tribuum, quod per Salma-

Digitized by Google

vi damno afficiatur — — 12. *e*) An per abrupta curſare poſſunt equi? aut arari poteſt bobus *in rupibus?* atqui vos judicium in venenum et juſtitiae fructum in abſinthium vertiſtis. 13. Laetamini de re nihili. Dicitis: nonne fortitudine noſtra admodum potentes facti ſumus? 14. En ego excitabo contra vos, o Iſraëlitae, inquit Jova Deus omnipotens, gentem quae vos affliget *f*) a Chamate usque ad flumen deſerti.

SECTIO IX. CAPVT VII

1. *a*) Aliquando autem Dominus Jova haec mihi oſten-

manaſſarem prorſus deſtructum eſt. *Minor* ſunt duae tribus regni Judaici, cui per incurſionem Sennacheribi ſub Hiskia grave damnum illatum, nec tamen prorſus ſublatum eſt.

e) Senſus hujus comparationis is eſſe videtur: Quemadmodum, qui illud faciunt, admodum imperite et parum feliciter agunt: ita vos, qui juſtitia, quae ſemper et omnibus ſalutaris eſſe ſolet, abutimini injuſtitia.

f) Has enim terras Jerobeamus II. recuperaverat ſuoque regno iterum junxerat, 2 Reg. XIV, 25. *Flumen deſerti* eſt Nilus, qui terminum meridionalem terrae Iſraëliticae conſtituit.

a) In harum viſionum verſ. 1 - 10. explicatione aſſentior *Grotio*, qui neque primam de locuſtis proprie ſic dictis, neque ſecundam de igne ſ. nimio ſolis aeſtu et ex eo provenien-te ſterilitate intelligit, ut plerique interpretes, ſed improprie de

Digitized by Google

oſtendit: videbam ego locuſtas * exiſtere initio incrementi foeni cordi, quod erat poſtquam pabulum ad uſus regios jam collectum fuerat. 2. Cum igitur viderem *iſtas locuſtas* herbam in agris jam conſumſiſſe, dixi, ignoſce quaeſo, o Domine Jova, quis enim * ſervare Jacobum, jam quidem adeo exiguum, poteſt? 3. Tunc Jova exoratus, non fiet, inquit. 4. Deinde Jova mihi oſtendit, ſeſe ignem poenae loco advocaſſe. Qui cum abyſſum magnam et partem etiam *agrorum* vaſtaſſet, 5. dixi, deſine quaeſo, o Domine Jova, quis reſtituere Jacobum, jam quidem ſat tenuem, poteſt? 6. Et in eo quoque Jova conceſſit, non fiet, inquit. 7. Tandem vidi Dominum ſtantem ſuper muro ad perpendiculum exſtructo, et manu perpendiculum tenentem. 8. Tum ille, quid vides, inquit, Amos? Reſpondi, perpendiculum. Tum dominus: en jam res deciſa eſt de populo meo Iſraële, non amplius ei condonabo. 9. Vaſtabuntur loca iſta excelſa Iſacidarum, et ſacella Iſraëlitarum deſtruentur, domum vero Jerobeami gladio perſequar — — 10. Tum Amazias ſacerdos Bethelenſis miſit ad Jerobeamum Iſraëlitarum regem, eique indicavit, Amoſum apud populum ſeditionem excitare, verendum eſſe,

de diverſis incurſionibus Aſſyriorum, et vaſtationibus regno Iſraëlitico illatis. Prima quidem facta eſt a Phule, altera a Tiglatpileſere 2 Reg. XV, 19-29, tertia denique a Salmanaſſare, qui regni Iſraëlitici finem fecit.

eſſe, ne ſermonibus ejus omnes ad rebellandum impellantur. 11. Dicere enim ſolere Amoſum, gladio periturum eſſe Jerobeamum, Iſraëlitas vero e terra ſua captivos abductum iri. 12. Ipſum vero Amoſum ita eſt Amazias allocutus: Abi, o vates, fuge in terram Judaicam, ibi vive, ibi vaticinare. 13. Bethele vero noli amplius vaticinari, regis enim regiaeque domus ſacellum eſt. 14. Ad haec Amoſus Amaziae hunc in modum reſpondit: Non ſum ego propheta, neque prophetae filius, ſed paſtor ego ſum, *b*) colligens mora bati. 15. Jova vero me a grege avocavit, juſſitque me apud populum ſuum, apud Iſraëlitas, vaticinari. 16. Jam igitur audi Jovae dicta. Tu quidem me vetas apud Iſraëlitas vaticinari et inter Iſaaci poſteros oracula fundere: 17. ſed Jova propterea haec tibi dicit: Uxor tua in urbe ſtuprabitur, filii filiaeque tuae gladio interficientur, patria tua dividetur, tu in terra immunda morieris, Iſraëlitae e terra ſua captivi abducentur.

SECTIO

b) בלס *ἅπαξ λεγόμενον* respondet Chaldaeorum בלש *perquirere*, *ſcrutari*. Syrus et Arabs verterunt *colligens*, Aquila *ἐρευνῶν*, cf. *Clodius* in Lexico Hebr. Select. — שִׁקְמִים non proprie ſic dictos ſycomoros, ſed mora bati eſſe, *Hieronymus* notavit. vid. *Celſius* in Hierobot. P. I. p. 310. Senſus eſt: tenui victui ego adſuetus ſum.

SECTIO X. CAPVT VIII

1. Porro aliquando Jova mihi oſtendit caniſtrum fructuum aeſtivorum, 2. meque interrogavit, quid viderem? reſpondi, caniſtrum fructuum aeſtivorum. Ad haec Jova: venit finis populo meo Iſraëli, non amplius ei condonabo. 3. Tunc palatii cantica in ejulatum mutabuntur, dicit Dominus Jova. Multa cadavera proſtrata jacebunt, triſte ubique ſilentium regnabit. 4. Audite hoc, qui pauperes invaditis et miſeros affligitis, 5. qui dicitis: quandonam novilunium praeteribit, ut annonam vendamus et ſabbatum ut horrea aperiamus, ut imminuamus Epham, ut ſiclum augeamus et lances doloſe pervertamus: 6. ut tenues argento et pauperes *a*) viliſſimo pretio emamus, ut frumenti quiſquilias vendamus. 7. Jurat Jova per illam ipſam Jacobitis conceſſam magnitudinem: nunquam ego oblivivſcar tot eorum ſcelerum. 8. Sane propterea tota terra commovebitur, lugebunt omnes ejus incolae, ita *b*) ut tanquam Nilo univerſa terra inundetur, atque commota *c*) ſubmergatur,

a) cf. Cap. II, 6.

b) Verba textus ſunt: וְעָלְתָה כָאֹר כֻּלָּה Verbum עלה non ſolum de *re* dicitur *quae* aſcendit, ſed etiam metonymice de re *in qua* aliquid aſcendit, e. g. Eſ. XXXIV, 13. Prov. XXIV, 31.

c) Celeb. *Schroederus* in Obſervatt. ad Orig. Hebr. pag. 95.

Digitized by Google

gatur, ſicut amne Aegypti. 9. Eo tempore *d*), inquit Dominus Jova, efficiam, ut ſol occidat in ipſa meridie, terraeque clara die tenebras inducam. 10. Mutabo feſta veſtra in luctum, et cantica veſtra in naenias, efficiam ut omnes veſtitu lugubri incedant et capita prae acerbo luctu tondeant, omnis omnino terra graviſſime dolebit, et poſtrema illius temporis pars longe erit triſtiſſima. 11. Futurum eſt, inquit Dominus Jova, ut famem terrae immittam, non tam famem panis et ſitim aquae, quam potius verbi divini audiendi. 12.

exiſtimat, variam lectionem a Maſorethis in hac voce notatam non diverſam eſſe quoad verborum ſignificationem. Nam Cetib כְּשִׁקָּה eſſe a verbo שָׁקַה quod ſic ſcriptum ſit pro כְּשִׁקָּהה ; שָׁקַה vero reſpondere verbo in lectione marginali ſubſtituto שׁקע ut in aliis verbis ejusdem formae, v. c. גָּבַה et גָּבַע.

d) ſc. tempore deſtructionis regni Iſraëlitici et captivitatis — *ſol occidet*, et rel. His atque ſimilibus phraſibus inſignes rerum publicarum mutationes et everſiones indicari, ab interpretibus paſſim eſt annotatum. Supra tale exemplum adfuit Joel III, 4. et infra alia occurrent, v. c. Michae III, 6. Senſus igitur h. l. eſt: Tum, cum videbitur terra maxime florere, tota ejus gloria peribit. Quod ſane ſub Jerobeamo II. impletum eſt, ſub quo regnum Iſraëliticum florebat, 2 Reg. XIV, 25. Sed ſtatim poſt mortem ejus, filio Zacharia interfecto, res illius regni in alia omnia mutatae ſunt, cf. 2 Reg. XV.

12. Tunc ab uno mari ad alterum vagi errabunt, a ſeptentrione ad orientem diſcurrent verbum Dei quaerentes, nec invenient. 13. Tunc virgines formoſiſſimae et juvenes ſiti exanimabuntur. 14. Qui jurant per illud ipſum, quo Samaria culpam ſibi contraxit, et dicunt: ita vivat Deus tuus Dane, ita vivat * Deus tuus Berſebae! Cadent non amplius ſurrecturi!

SECTIO XI. CAPVT IX, 1-12

1. Vidi Dominum ſtantem ſuper ara. Tunc mihi dixit: percute limen ſuperius, ut poſtes commoveantur, eosque diffinde *ut ruant* in caput omnium *qui adſunt*, reliquos vero gladio interficiam, nemo effugiet, nemo evadet. 2. Quamvis vel ad inferos penetrarint, illinc quoque manus mea eos auferet; quamvis caelum ſcanderint, illinc eos detrudam; 3. quamvis in vertice Carmeli ſe abſconderint, eos inde perſcrutatus auferam; quamvis ab oculorum meorum conſpectu in fundo maris ſe abdiderint, jubebo ſerpentibus, ut eos ibi mordeant: 4. et, ſi ab hoſtibus captivi abducentur, ibi quoque, me ita jubente, gladio interficientur; ad perdendos eos, non adjuvandos, intentus ero. 5. Ille ego Dominus Jova, quo tangente terra diſſolvitur, omnesque ejus incolae ſumma triſtitia afficiuntur, aut tota tanquam Nilo inundatur et ſubmergitur, ut amne Aegypti. 6. Qui caelum ſibi paravit *a*) ut partem domus

a) Sciendum eſt in Oriente ſuperiores aedium contignationes prae-

mus ſuae ſuperiorem, fornicem vero in terra fundavit, qui convocat maris aquas, easque ſuper terram effundit; Jova eſt nomen ejus. 7. Nonne vos uti Aethiopes eſtis, o Iſraëlitae! inquit Jova. Equidem vos ex Aegypto eduxi, ſed Philiſtaeos quoque ex Cappadocia et Syros ex Cyrene eduxi. 8. En ego in regnum iſtud improbum converſus auferam illud e terrarum orbe, nec tamen ego prorſus illud, poſteros nimirum Jacobi, perdam, inquit Jova. 9. Jubebo, ut Iſraëlitae per omnes gentes agitentur, veluti vannus cum frumento agitatur, nec tamen granum in terram decidet. 10. Gladio peribunt omnes de populo meo improbi, qui negant ſibi eventurum aut occurſurum eſſe malum. 11. Eo tempore reſtaurabo tugurium Davidis collapſum, obſepiam ejus rupturas, diruta ejus erigam atque in ſtatum priſtinum redigam. 12. Tunc Edomitas ſibi ſubjicient, omnesque gentes nomen meum profitentes, inquit Jova, qui haec praeſtabit.

SECTIO

praeſtantiores haberi infima et propterea a patre familias inhabitari, infimam vero familiae aliisque uſibus eſſe deſtinatam. Haec vero plerumque eſt fornicata. Atque hanc ſignificationem habet vocabulum hebraeum, quod h. l. legitur, אֲגֻדָּה quod, ut Arabicum إِجَانٌ *fornicem* indicat firmae compaginis et ſtructurae. v. *Golius* pag. 27. Jam intelligetur quam eleganter propheta comparet *caelum* cum parte ſuperiore domus quam Deus inhabitet, cui *terram*, inferiorem fornicatam, opponit. vid. *Fabri* Archaeol. Hebr. pag. 422.

SECTIO XII. CAPVT IX, 13 - 15

13. Futurum eſt aliquando, inquit Jova, ut arator meſſorem et uvarum calcator ſatorem attingat. Stillabunt montes muſtum, et colles bonis omnibus circumfluent. 14. Captivos enim populi mei Iſraëlis reducam. Urbes devaſtatas reſtaurabunt et habitabunt: plantabunt vineas, earumque vinum bibent, hortos conſerent, eorumque fructibus veſcentur. 15. Atque hanc earum felicitatem conſtantem efficiam, ita ut non amplius è terra ſua, quam illis dedi, ejiciantur. Promittit hoc Jova eorum Deus.

OBADIAS

1. Vaticinium Obadjae: Haec dicit Dominus Jova de Edomitis: Ex ore Jovae accepimus, gentes miſſis legatis ſeſe mutuo ad bellum contra eos ſuſcipiendum exhortari. 2. En ego te omnium gentium minimam efficiam, ſummo te contemtui exponam. 3. Animi tui faſtus te decepit, et quoniam petras inhabitas, quae tibi *a*) aſylum praeſtant, et loca excelſa, neminem te in ter-

a) חַגְוֵי — סֶלַע vulgo *fiſſurae petrarum.* Sed חֲגָוִים quod praeter hunc locum bis tantum occurrit, non eſſe *fiſſu-*

terram planam detrahere poſſe putas. 4. At enimvero, etiamſi ut aquila te evexeris, atque adeo inter ſtellas nidum tuum poſueris, tamen inde ego te deturbabo, inquit Jova. 5. Si te fures, ſi nocturni graſſatores invaſiſſent, (o quam eris vaſtatus!) furati eſſent, quantum ſibi ſufficeret. Si te vindemiatores aggreſſi eſſent, reliquiſſent racemos *b*) — — 6. O quam perveſtigati ſunt Eſavitae, et perquiſita eorum latibula! 7. *c*) In exilium te dimittunt, foederati tui te deceperunt, tibi pernicioſi fuerunt, qui amicitiam erga te ſimulabant, tui convictores inſidias tibi ſtruxerunt, quas nemo

fiſſuras, ſed *aſylum*, *refugium*, a verbo Arab. חגי *confugere*, docuit *Schultens* in Animadv. philol. ad h. l. et Eſ. XIX, 17.

b) Deeſt Apodoſis facile ſupplenda: Non ita tecum agent hoſtes tui, nihil omnino tibi relinquent, omnia ſecum auferent.

c) Hebr. *ad fines* ſc. terrae tuae, *te mittent.* Quod per contextum nihil aliud indicare poteſt, quam ejectionem in exilium — — Ultimum membrum יָשִׂימוּ מָזוֹר תַּחְתֶּיךָ difficile eſt propter vocabulum מָזוֹר, cui notio *faſtidii*, quae vulgo h. l. ſubſtituitur, non ſatis apta videtur propter ſequentem praepoſitionem תחת. Omnes interpretes antiquiores verterunt per *inſidias*, aptiſſime quoad contextum. Quos ego ſecutus ſum, quamquam ex uſu linguae ſignificationem probare non poſſum. Ultima verba אֵין תְּבוּנָה בּוֹ referenda ſunt ad מזור.

nemo viderat. 8. Nimirum illo tempore auferam ex Idumaea ſapientes, et prudentiam e montibus Eſavitarum. 9. Pavebunt milites tui, o Teman, et ſic omnes Eſavini montis incolae exſcindentur. 10. *d*) Propter caedem et violentiam in conſanguineos tuos, Jacobi poſteros, pudore obrutus in perpetuum peribis. 11. Illo nimirum tempore tu ex adverſo ſtabas, cum alieni exercitum eorum captivum abducerent, cum peregrini Hieroſolymam occupaſſent et de ejus incolis ſortes jacerent, tu quoque de illis fuiſti. 12. Sed non laetari debebas ſpectanda calamitate tuorum conſanguineorum, neque gaudere de adverſa fortuna Judaeorum, neque adeo inſolenter te gerere, cum affligerentur. 13. Non debebas urbes populi mei invadere male jam afflicti, nec delectari hac adverſa ejus fortuna, nec manus immittere ejus opibus die illi exitioſo. 14. Non ſtare debebas ad viarum divortia, ut perderes eos, qui fuga evaſiſſent, aut ut ex illa pernicie ſuperſtites hoſti traderes. 15. Profecto inſtat dies judicii divini his gentibus omnibus; ut tu feciſti, ita tibi fiet, par pari capiti tuo referetur. 16. Quemadmodum enim vobis *e*) propter montem meum ſanctum e calice irae meae biben-

d) Secundum receptam verſuum diſtinctionem מִקָּטֶל finit verſum nonum. Sed *οἱ ό*, Syrus, Arabs, Vulgatus cum eo verſum 10 incipiunt. Recte uti arbitror. Pleonaſmus eſſet vitioſus et phraſis inſolens *exſcindi occiſione*.

e) h. e. propter terram Judaicam a vobis afflictam — Idem di-

bendum fuit: ita ex eodem bibent gentes iſtae omnes. Adeo ut in nihilum redactae, perinde ſint ac ſi non fuiſſent. — — 17. Sionitae vero evadent, Deoque ſacri erunt, et Jacobitae ſedes ſuas reſtaurabunt. 18. Tunc Jacobi poſteri ignis erunt, et Joſephi genus flamma; Eſavi vero domus ſtipulae; has igitur cremabunt et ita conſument, ut de Eſavi domo nullus ſuperſit: Jova hoc minatur. 19. Ipſi vero occupabunt tractum meridionalem cum regione montana Eſavitarum, et tractum campeſtrem cum Philiſtaeorum regione; occupabunt terram Ephraimiticam et Samariticam, Benjaminiticam cum Gileaditide: 20. Iſtae, *inquam*, deportatae copiae Iſraëlitarum poſſidebunt quidquid Chananaeorum fuit usque ad Sareptam; exules vero Hieroſolymitani ea, quae ſunt Sepharidis regionis, cum urbibus auſtralibus. 21. Tunc exi-

dicitur in hoc verſu, quod in praecedente, tropo tantum adhibito de calice Dei, quem ebibere gentes iſtae cogantur; quo poenas et judicia divina a prophetis indicari, vel tirones non ignorant. Nos retinuimus tropum in verſione intellectu non difficilem. Sed ſi quis malit verbis propriis tropice dicta enunciare, ita putem vertenda eſſe: Quemadmodum enim vos, propter terram meam a vobis vexatam, judiciorum meorum ſeveritatem experiemini: ita eandem magis adhuc ſentient gentes iſtae omnes; ita ut prorſus exſtirpentur. — Verbum לָעוּ non eſſe a לוּעַ *abſorbere*, ut vulgo putatur, ſed ab Arabico לעי *vanum*, *irritum eſſe*, probavit *Schultens* l. c. cf. Job. VI, 3, Prov. XXVI, 25.

exiſtent in Sione ſalvatores, qui Eſavitas plane ſibi ſubjicient, Jovae vero erit regnum.

JONAS

CAPVT I

1. Jonae Amittai filio juſſit Jova, 2. ut Niniven magnam illam urbem profectus, poenas divinas ei propter peccata graviſſima minaretur. 3. At Jonas Jovam fugiens a) Tarteſſum ire contendit. Cum igitur Joppen veniſſet, navemque ibi offenderet, Tarteſſum petituram, ſoluto portorio eam conſcendit, ut, Jovam fugiens, Tarteſſum veniret. 4. Sed Jova in mari tantum ventum concitavit, tanta cum tempeſtate, ut navis frangi periclitaretur. 5. Nautae igitur vehementer perterriti, ſuum quisque Deum invocarunt, et navigii levandi cauſa jacturam fecerunt. Jonas vero in partibus navis inferioribus ad ſomnum ſe compoſuerat gravi ſopore

a) *Tarſchiſch*, de quo multi multa, ſed parum accurate ſcripſerunt, Tarteſſum eſſe Hiſpaniae Baeticae, *Bochartus* ita probavit, ut dubium ſuper hac quaeſtione non ſuperſit, in Geogr. Lib. III. Cap. VII. p. 165. Cui multa lectu digniſſima addidit Illuſtris *Michaëlis* in Spicilegio Geographiae Exterae Hebr. poſt Bochartum, pag. 82 ſeqq.

oppreſſus. 6. Nauclerus igitur eum acceſſit his verbis: quid dormis? ſurge, invoca Deum tuum, fortaſſe ſe nobis clementem exhibeat, ne pereamus. 7. Deinde alter alteri dixit; agite, ſortes jaciamus, ut intelligamus, ecquis tanti mali cauſa ſit. Quod cum feciſſent, ſors Jonam deſignavit. 8. Huic igitur dixerunt: indica nobis, cur tantum malum nobis evenit? quaenam ſunt tua negotia? unde venis? quaenam eſt patria tua? quinam populus? 9. Ad haec Jonas reſpondit, ſeſe Hebraeum eſſe, et Iovam Deum caeleſtem maris et terrae creatorem colere. 10. Cumque praeterea eis indicaſſet, ſeſe hujus Jovae conſpectum fugere, ſummo terrore homines perculſi ei dixerunt: cur hoc feciſti? 11. quid tibi faciemus, ut mare nobis placetur? mare enim magis magisque aeſtuabat. 12. Quibus ille: abjicite me in mare, ita enim vobis placabitur; novi enim, mea cauſa tantam in vos tempeſtatem ortam eſſe. 13. At homines operam dederunt, ut remigando appellerentur. Quod cum propter continuam maris tempeſtatem fieri non poſſet, 14. Jovam his verbis implorarunt: Quaeſumus te, Jova, ne propter caedem in hoc homine committendam pereamus, neve in nobis innocentis caedem ulciſcaris. Tu enim, o Jova, pro arbitratu tuo agis. 15. Tunc Jonam in mare abjecerunt; quo facto ſaevire deſiit. 16. Homines vero iſti, ſummo timore Jovam reveriti, ſacrificiis ei oblatis vota fecerunt.

CAPVT

CAPVT II

1. Extitit vero ex Jovae voluntate a) piſcis ingens, qui Jonam deglutiret. 2. Cujus in ventre cum eſſet tres dies totidemque noctes, Jovam Deum ſuum ex piſcis hujus viſceribus hunc in modum precatus eſt: 3. Jovam in meis anguſtiis invoco, et me exaudit, ex ipſis inferis vociferor, et tu audis vocem meam. 4. Abjeciſti quidem me in medium maris profundum, fluctus me obruunt, omnesque aquarum gurgites me opprimunt. 5. Equidem videor prorſus a te abjectus, ſed tamen ſpero fore ut aliquando templum tuum ſanctiſſimum iterum videam. 6. Aquae quidem me in ſummum vitae periculum inducunt; abyſſus me conclufum tenet, alga implicata eſt capiti meo. 7. Ad imas montium radices detruſus ſum, terrae vectes ſemper mihi videntur obſtare, ſed tu, o Jova mi Deus, ex illo interitu me extrahes. 8. Quando animus mihi deficit, tui recordor, atque etiam preces meae ad te ad templum tuum ſanctum pervenient. 9. Qui vana idola colunt, felicitatis ſuae auctorem deſerunt. 10. Ego vero cum gratiarum actione tibi ſacrificabo et vota

a) De *ceto Jonae* vid. *Bochartus* in Hieroz. P. II. Cap. XII. pag. 742, qui aſſerit, piſcem iſtum non fuiſſe cetum proprie dictum, quod hujus animalis fauces anguſtiores ſunt, quam ut integrum poſſit hominem deglutire, ſed *canem marinum Carcharias* dictum, quibus Oceanus abundat.

vota mea ſolvam, a Jova omnis ſalus venit. — —
11. Tum piſcis juſſu Dei Jonam in terram ejecit.

CAPVT III

1. Deinde Jova iterum Jonae juſſit, 2. ut Niniven magnam illam urbem proficiſceretur, ibique juſſa denuntiaret. 3. Jonas igitur ex Jovae mandato Niniven profectus eſt. (Erat vero Ninive urbs tantae magnitudinis, ut non niſi triduo ambiretur.) 4. In qua peragranda cum Jonas unum diem conſumſiſſet, denunciavit, poſt quadraginta dies Niniven everſum iri. 5. At Ninivitae fidem Deo habentes jejunium indixerunt, et ſummi aeque ac infimi veſtes lugubres induerunt. 6. Rex quoque, cum ei quod factum eſſet indicaretur, e ſolio ſuo ſurrexit, et depoſita veſte regali, centone amictus humi ſedit: 7. Atque ex ſuo et principum ſuorum decreto per urbem proclamari juſſit: ne homines, ne armenta et pecudes quidquam guſtarent, aut paſcerentur, aut aquam biberent: 8. *a*) cum homines,

a) Quod haec quoque ad edictum regium pertineant, ex verſu nono clarum eſt. LXX quidem interpretes hunc verſum accipiunt ut narrationem, de iis, quae Ninivitae ad Deum placandum feciſſent, et connectunt cum ſequenti per λεγοντες. Sed quanquam ſenſus hic non incommodus eſt, atque etiam verba hebraea eum admittunt, tamen quoniam illud אֹמְרִים quod ex verſione τῶν ὁ inferendum eſſet,

nes, tum pecudes, veſtitu lugubri induti, Deum vehementer implorarent, malos mores mutarent, atque ab omni violentia, quam hactenus exercuiſſent, abſtinerent: 9. fortaſſe Deus reconciliatus ſeſe contineret, et ab irae ſuae fervore retractus, eos non perderet. 10. Cum igitur Deus videret, quid agerent, quanto ſtudio pravam vitam emendarent, cohibuit ſeſe, atque ab illa poena, quam eis minatus fuerat, abſtinuit.

CAPVT IV

1. Jonae vero hoc vehementer diſplicuit, ita ut, ira commotus, 2. Deum hunc in modum oraret: o Jova! nempe id ipſum fuit, quod dicerem, cum adhuc in patria mea eſſem. Propterea etiam cupiebam ad illud vitandum, Tarteſſum aufugere; novi enim te eſſe benignum, miſericordem, longanimem, inſigni clementia, et in poenis inferendis continentem. 3. Aufer igitur a me, Jova, hanc animam; melius enim eſt, me mori, quam vivere. 4. Sed Jova negavit iram ejus juſtam eſſe — — 5. Tum Jonas urbe egreſſus conſedit verſus urbis orientem; et exſtructo ſibi tugurio ſub ejus umbra moratur, donec videret, quid urbi eſſet eventurum. 6. Succreſcere vero fecit Jo-

eſſet, nullus reliquorum interpretum legit, neque Codd. hebraeorum auctoritate probari poteſt, non eſt quod receptam lectionem in dubium vocemus.

Jova Deus *a*) ricinum, qui Jonae a ſe obtecto umbram praeberet, et a tempeſtatis incommodis defenderet. De hoc igitur ricino Jonas vehementer laetatus eſt. 7. Poſtridie vero ſub aurorae ortum, Deo ita volente, vermis ricinum iſtum adeo laeſit, ut exareſceret. 8. Cum deinde ſol ortus eſſet, Deus ventum induxit ex oriente aeſtuoſum. Tum ſol Jonae caput ita feriit, ut animo deficeret et mori praeoptaret, mortem tali vita meliorem exiſtimans. 9. Deus vero Jonae dixit: rectene propter ricinum iraſceris? Recte, inquit ille, vehementer iraſcor. 10. Tum Jova: Tu quidem parcendum exiſtimas ricino, quem nec elaboraſti, nec nutriiſti, qui una nocte ortus, una nocte periit. 11. Ego vero non parcerem Ninivae, tantae urbi, in qua ſunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nullum inter bonum et malum diſcrimen norunt, et tam multa pecora?

a) Vocabulum hebraicum קִיקָיוֹן cucurbitam notare, jam olim *Hieronymus* recte quidem, ſed cum magna ſua invidia negavit. Jam quidem a viris doctiſſimis ſatis evictum eſt, Kikajon neque cucurbitam, neque hederam eſſe, ſed *ricinum*, ſive eam plantam, quae Aegyptiis *Kiki*, Arabibus *Elkeroa* dicitur, et quae eo nomine inſignienda ſit, quod nomen latinum ei proprium non habemus, magna vero ei cum ricino ſimilitudo intercedit. Vid. *Celſius* in Hierobot. P. II. pag. 273.

MICHA

MICHA

SECTIO I. CAPVT I

1. Temporibus Jothami, Achaſi, Hiskiae, regum Judaicorum, Micha Moraſchtaeus juſſu Dei haec contra Samariam et Hieroſolymam vaticinatus eſt: 2. Audite omnes populi, attende terra et ejus incolae! 3. Sit Dominus Jova teſtis contra vos, Dominus e templo ſuo ſancto. En Jova e loco ſuo egreſſus deſcendet, et conculcabit loca terrae excelſa. 4. Tunc montes ſub eo liqueſcent, ut cera igni admota, et valles findentur, ut aquae per declivia praecipitatae. 5. Haec vero omnia evenient propter peccata Jacobitarum, et propter Iſraëlitarum ſcelera. Quis eſt auctor peccati Jacobitarum, nonne Samaria? et quis eſt auctor * ſceleris Judaeorum, nonne Hieroſolyma? 6. Igitur redigam Samariam in rudus agreſte, in vinearum plantaria, et dejectis in vallem ejus lapidibus fundamenta ejus evertam. 7. Sculpta ejus ſimulacra contundentur, mercedes ejus meretriciae igni comburentur, et omnia ejus idola perdam. Ex mercede enim meretricia * collecta ſunt, et in mercedem meretriciam etiam redibunt. 8. Propterea ego lugens ejulabo, et ut veſte ſpoliatus nudus incedam, lugebo ut dracones, plangam

gam ut ſtrûthiones. 9. Vulnus enim ejus eſt lethiferum, veniet quoque in Judaeam, pertinget usque ad portas popularium meorum, usque ad Hieroſolymam. 10. Nolite a) hoc Gathenſibus annunciare, aut fletum edere; Beth Ophrae in pulvere te voluta. 11. Abite, o Sapphirenſes, nudati et pudibundi! Non amplius exibunt Saanenſes. Luctus Bethaſelae vos privabit ejus hoſpitio; 12. dolent ob bonum amiſſum Maróthenſes, poena enim divina pertingit usque ad portas Hieroſolymae. 13. Junge currum equis velocibus, o Lachiſch, tu enim puellae Sioni peccandi principium fuiſti, Iſraëlitarum ſcelera apud te reperiuntur. 14. Juri

a) Inſignis eſt hic locus usque ad finem Capitis propter Paronomaſias cumulatas. Ad ſtili elegantiam uſum hujus figurae lingua hebraea vivente relatum eſſe, multa exempla in aliis prophetis paſſim obvia docent, et a philologis et interpretibus obſervatum eſt. Hic quidem locus unicus eſt, quantum ſcio, in quo haec figura per tot verſus eſt continuata. Sed perit illa elegantia omnis et neceſſario perire debet in verſione, nec niſi a linguae perito ſentiri poteſt et dijudicari. Quod iudicium haud ſcio an faveat affectatae illi elegantiae, cui occidentales linguae ne quidem magnum pretium ſtatuunt. Nec tamen usque eo iniquum eſſe debet, ut reprehendat ſcriptores hebraeos ſuae linguae elegantiam ſectantes. Ita quidem modeſte judicat de hujus figurae uſu et pretio Illuſtris *Michaëlis* in notis ad *Lowthum* de S. Poëſi Hebraeorum, Nota 76. pag. 290, cujus judicio et ego omni ex parte aſſentior.

Juri tuó in Gatham renunciabis, domus Achſibenſes ſpem fallent regum Iſraëlitarum. 15. Adducam tibi heredem, o Mareſa, juxta Adullam occidet gloria Iſraëlis. 16. Fac tibi calvitiem, et tonde te propter filios tuos tibi adeo dilectos, dilata calvitiem tuam, ut aquila, nam captivi a te abierunt.

SECTIO II. CAPVT II

1. Vae his qui prava cudunt conſilia et mala machinantur in cubilibus ſuis, quae primo mane patrant, quoniam poſſunt. 2. Qui, quos agros, quas domos concupivere, eripiunt et auferunt, qui alios cum ſuis domibus et patrimoniis opprimunt. 3. Propterea haec dicit Jova iſtis hominibus: En ego vobis tantum poenarum jugum imponam, cui colla veſtra non poteritis ſubtrahere, nec erecti incedere. Iſta tempora erunt triſtiſſima. 4. * Eodem illo tempore de vobis proverbium erit, immo lamentabiles naeniae audientur: perditi ſumus, inquient, immo prorſus vaſtati, terra popularium noſtrorum in alios translata eſt, nec eſt, qui ſuſcipiat reddere nobis agros noſtros diviſos. 5. Sane non erit, qui terram veſtram vobis in conventu publico ſorte diſtribuat. — — 6. a) Nolite nos reprehendere,

a) Reprehendit propheta profanos iſtos homines, qui vetabant prophetis munere ſuo fungi. Sed verbum נטף, quod

dere, dicunt iſti nos reprehendentes; At enim vero, etiamſi talia non amplius vobis dicantur, tamen eveniet illa ignominioſa calamitas. 7. * At, inſtat domus Jacob, an deſiit Deus eſſe longanimis et ignoſcens? an talem ſe olim geſſit? Sane ego, *inquit Deus*, benignum me praebeo iis, qui boni ſunt et probe vivunt. 8. Sed populus meus jam pridem animum hoſtilem prodit, veſtibus ſpoliant, qui tuto, vt victores e bello reduces, iter faciunt. 9. Mulieres *viduas* populi mei ex ſedibus ſuis, quae eis levamentum aliquod praebebant, ejiciunt; earumque infantes privant bonis ſuis nunquam recuperandis. 10. Igitur et vos ſurgite et abite, non poteſt haec terra vobis ulteriorem ſecuritatem praebere inſigni adeo corruptione polluta. 11. Sane *b*) ſi quis vanus et ventoſus hariolus promittit, ſe pro vino et temeto vaticinari velle, is eſt vates huic populo

quod in ſpecie de prophetarum ſermonibus dicitur, ut Amos VII; 16. coll. verſ. 11, in I. et IV. Conjugatione apud Arabes ſignificat etiam *accuſare*, *reprehendere;* quod ſane faciebant veri Dei prophetae adverſus impios iſtos homines loquentes. Atque haec ſignificatio elegantem ſenſum facit: *Nolite nos reprehendere*, *dicunt iſti nos reprehendentes.* *Symmachus* quidem ita vertit: *μὴ ἐπιτιμᾶτε, ἐὰν ἐπιτιμήσητε, οὐκ ἐπιτιμῶντες οὐ κωλύει καταισχυμμός.*

b) לוּ non ſemper optative, ſed et conditionate dicitur: — אַטִּיף לְךָ לַיַּיִן וְלַשֵּׁכָר ſunt verba mendacis iſtius prophetae, cf. III, 5.

pulo gratus et acceptus. —— 12. *c*) Colligam ego vos Jacobitas omnes, et Iſraëlitarum reliquias congregabo, eosque una collocabo, uti oves * in ovili ſuo, ut gregem in caula ſua, magnum prae multitudine ſua ſtrepitum edentes. 13. Praecedet eos eorum vindex, illi vero victores tuto in urbibus ſuis recuperatis degent, ducet eos eorum rex, ipſo Jova praeeunte.

SECTIO III. CAPVT III, 1-5

1. Alio tempore haec dixi: Audite quaeſo principes Jacobitarum et Iſraëlitarum gubernatores: Veſtrum quidem eſſet, jus recte exercere; 2. Sed bonum exoſi malum amatis, pelle eis detracta carnem adeo ab eorum oſſibus deſecatis. 3. Carnem, inquam, populi mei co-

c) Plerique interpretes hunc et ſequentem verſum ut comminationem explicant de abductione in captivitatem; mihi vero potius promiſſionem de reductione videntur continere. Verba enim קבץ et אסף ſemper in bonam partem dicuntur, uti et ipſa ſimilitudo de grege congregando. Neque difficilis videri debet connexio cum antecedentibus. Nam in verſ. 10. minatus fuerat propheta abductionem e terra ſua in alienam; his vero minis prophetae fere ſemper ſtatim ſubnectere ſolent promiſſionem reditus aliquando futuri. At dicat aliquis: verſus undecimus hanc connexionem interrumpit. Sane, fateor, me malle hunc verſum poſt ſextum, quam poſt decimum legere. Sed deficiente auctoritate, qua hanc defendere trajectionem poſſim, non auſim aliquid definire.

Digitized by Google

meditis, cumque deglubitis et oſſibus diſſectis ea * uti carnis fruſta diviſa in ollam vel ahenum ingeritis: 4. Sed fiet aliquando ut me invocetis, tunc vero vos non exaudiam, gratiam meam vobis eo tempore ſubtraham, cum tanta fuerit veſtra impietas.

SECTIO IV. CAPVT III, 5-8

5. Haec dicit Jova prophetis deceptoribus populi mei, qui, dum illis datur quod edant, omnia proſpera praedicunt, ſed ſi quis iſta erga eos non eſt liberalitate, huic bellum indicunt. 6. Nox vos opprimet propter iſta vaticinia, et tenebrae propter iſtas divinationes veſtras — Sol occidet iſtis prophetis, et dies illis obſcurabitur. 7. Vates iſti erubeſcent, et pudore ſuffundentur iſti divinatores, ore cooperto omnes incedent, quum nihil eorum quae praedixerant eventu comprobetur. 8. Ego vero virtute et ſpiritu Dei repletus ſum; neque prudentia mihi neque conſtantia deeſt, ut Jacobitas ſcelerum et Iſraëlitas peccatorum ſuorum convincam.

SECTIO V. CAPVT III, 9-12

9. Audite hoc Jacobitarum principes et Iſraëlitarum gubernatores, qui abhorretis ab eo quod juſtum eſt, atque omnem aequitatem pervertitis: 10. Sion quidem et Hieroſolyma ex opibus vi atque oppreſſione pauperum partis exſtruuntur; 11. Principes eorum in jure dicundo mu-

munerum rationem habent, et ſacerdotes mercedis in docendo, et prophetae pro pecunia vaticinantur; atque tamen magnam erga Deum fiduciam prae ſe ferunt. Nonne, inquiunt, Jova inter nos verſatur? nullum nobis malum eveniet. 12. Propter iſta vero ſcelera veſtra Sion ita vaſtabitur, ut tanquam ager arari poſſit: Hieroſolyma ita evertetur, ut tantum rudera ejus ſuperſint, in monte vero, ubi templum exſtructum eſt, ſilva ſuccreſcet.

SECTIO VI. CAPVT IV

1. Tandem vero aliquando futurum eſt, ut mons templi Jovae ſtabiliatur in vertice montium; omnibusque collibus ſit ſublimior, gentibus ad eum confluentibus. 2. Immo multae gentes ſeſe mutuo excitabunt, et dicent: agite aſcendamus ad montem Jovae et ad aedem Dei Jacobitarum, ut nos legem ſuam doceat, ad quam deinde vitam noſtram inſtituamus; (ex Sione enim lex innoteſcet, et edicta Jovae ex Hieroſolymis). 3. Is enim in multas gentes regnabit, gentes potentes easque remotas ad ſuam diſciplinam formabit. Tunc cudent ex gladiis vomeres, et ex haſtis falces, gens gentem non infeſtabit, nec bellum amplius diſcent. 4. Degent quisque ſub vite et ficu ſua, terrente nemine. Haec vero Jova omnipotens promittit. 5. Omnes quidem aliae gentes ſuum quaeque Deum colunt, nos vero Jovam Deum nunquam non colendum veneramur. 6. Illo tempore, inquit Jova, colligam afflictos et diſſipatos et

a me punitos congregabo. 7. Efficiam, ut illi afflicti ſuperſtites ſint, et ex illis hic illic diſſipatis gens exiſtat valida, cujus rex ſit Jova in monte Sion perpetuus. 8. Et tu turris Eder, * ignobilis in regno Sionitico, ad te redibit dominatus priſtinus regnumque Hieroſolymitanum. — — 9. *a*) Jam vero cur tales querelas et clamores lugubres edis? an putas te ſine rege eſſe? an nullum habes conſiliarium, quod adeo vehementer ut mulier pariens doles? 10. Sed dole modo, et vehementius commoveare, puella Sion, tanquam pariens; mox enim urbe egreſſa terram alienam coles, nempe usque ad Babylonem venies. Ibi vero liberaberis, ibi vindicabit te Jova ex hoſtium tuorum poteſtate. 11. Etenim mox convenient contra te gentes multae, polluamus Sionem, inquient, atque his ejus miſeriis illudemus. 12. Sed iſtae Jovae decreta ignorant, nec ejus intelligunt conſilium — — *b*) Congregabit eas uti manipulos in area.

a) Alloquitur propheta veluti praeſens populum in exilio lugentem ſtatumque ſuum deplorantem.

b) Quod nempe Deus eis tantum uſus fuerat ut inſtrumentis ad populum ſuum caſtigandum — In ſequenti promiſſione de glorioſa vindicta, quam populus de hoſtibus ſuis ſumere debebat, obſervent lectores tropos admodum diverſos, quibus propheta de populo loquitur, dum ad eum ut mulierem ſermonem vertit, ſive potius continuat et tamen talia praedicata ei tribuit, quae conveniunt bovi trituranti. Occaſionem huic comparationi dederant verba, quibus

area. 13. Age, tritura eos, o puella Sion, cornu tuum ferreum efficiam, et ungulas tuas aeneas, comminues gentes multas. Jovae * devovebis, quod illae avare corraſerant, earum facultates totius terrarum orbis domino conſecrabis. 14. * Ita tu quoque exſcinderis, quae multos exſcidiſti, quae nos obſediſti, quae nos obſediſti et principes noſtros admodum contumelioſe tractaſti.

SECTIO VII. CAPVT V.

1. Tu quidem Bethlehem *a*) Ephrata minor es, quam ut Judaeae praefecturis annumerari poſſis, ſed ex te ortum ſuum habebit Iſraëlitarum dominus; *b*) anti-

 quiſſi-

bus hanc promiſſionem inceperat: Deum tanquam agricolam gentes, quae populum ſuum afflixerant, ut manipulos in area diſpoſiturum eſſe, quo triturentur. Hanc imaginem perquam aptam ſeverae vindictae deſcribendae propheta etiam ad populum transfert, et tamen eum ut virginem alloquitur. Talia ſibi indulgent poëtae orientales, ex ſuae linguae uſu, non ex noſtro dijudicandi. Cf. ſupra dicta ad Hoſ. XIII, 13.

a) Supple הִיא *quae et Ephrata dicitur*, cf. Geneſ. XXXV, 19.

b) Quanquam plerique interpretes primam hujus Capitis partem literaliter de Meſſia agere exiſtimant, tamen me aliter ſentire fateor. Etenim ex toto contextu clare apparet, ſermonem eſſe de temporibus poſt reditum ex captivitate, et de ſecuritate, quam populus ſub duce aliquo ſit habiturus,

quiſſima erit origine, ab aeternis temporibus. 2. Verum quidem eſt, tradet eos (*Iſraëlitas nempe Deus Chaldaeis*) *c*) usque ad tempus anxie exſpectatae liberationis, ſed *tunc d*) de contribulibus ejus ſuperſtites revertentur cum reliquis Iſraëlitis. 3. Ille vero aſſidue reget ſuum populum, Jova Deo ſuo ipſum roborante et vi-

rus. Is vero alius eſſe non poteſt, quam ille ipſe, de quo in primo verſu ſermo eſt. Ad hunc enim referendum eſt affixum τοῦ אֶחָיו in verſu 2, nec non verba עמד et רעה, quae alias prorſus non haberent ſubjectum, cum de Meſſia intelligi non poſſint. Igitur ego quidem *Grotio* aſſentior, qui in verſu 1. literaliter Serubabelis ex familia Davidis antiquiſſima originem indicari putat; in ſenſu vero myſtico, quem dicunt, aut ſublimiori, locum nativitatis Meſſiae. Neque vereor, ne quem haec explicatio offendat, cum conſtet, Serubabelem typum Meſſiae fuiſſe. Neque evertitur Judaicorum doctorum hujus loci interpretatio Matth. II, 6; nam nec illi dicunt, quo ſenſu hoc vaticinium de Meſſia explicent, literaliter an typice?

c) In textu hebraeo eſt עַד־עֵת יוֹלֵדָה יָלָדָה *usque ad tempus, quo parturiens pariet.* Mihi quidem *Grotius* optime videtur tropum horum verborum intellexiſſe atque explicaſſe ex Cap. IV, 9. 10. Ibi propheta dolores Iſraëlitarum ob captivitatem comparaverat parturigini; hoc loco liberationem partui comparat. Perſpicuitatis cauſa in verſione tropum cum verbis propriis mutavi.

d) Qui de tribu Juda et Benjamin ſuperſtites erunt, revertentur cum illis, qui ex reliquis tribubus ſeſe illis aſſociabunt.

vires concedente, ut quiete vivi poſſit; magnam enim nominis famam et celebritatem conſequetur. 4. Pacem et ſecuritatem praeſtabit. Si Aſſyrii terram noſtram invadere et arces noſtras denuo aggredi auſi fuerint, non deerunt *e*) nobis adverſus eos defenſores et auxiliatores, 5. qui Aſſyrios armis doment et ipſis Babyloniis bellum inferant, et ſic tutos nos praeſtabunt ab Aſſyriis, ne terram noſtram invadere aut fines noſtros poſſint infeſtare. — — 6. Illae igitur Jacobitarum reliquiae, *ex Aſſyria reduces*, ſpectantibus populis multis erunt ſicuti ros a Jova demiſſus, ut pluviae tenues ſuper herbam, quae non hominum opera aut ſtudio veniunt. 7. Illae, *inquam*, Jacobitarum reliquiae gentibus multisque nationibus erunt, quod leo animalibus ſilveſtribus, aut leo catulus pecorum gregi, in quem graſſatur, quem conterit et rapit, defendente nemine.

f) SECTIO VIII. CAPVT V, 8 - 14

8. Tuos quidem adverſarios aggredi eosque omnes ex-

e) Verba textus ſic habent: וַהֲקֵמֹנוּ עָלָיו שִׁבְעָה רֹעִים וּשְׁמֹנָה נְסִיכֵי אָדָם *ſuſcitabimus adverſus eos*, nempe Aſſyrios, *ſeptem paſtores et octo principes.* Numerus certus pro incerto poſitus eſt. Et quoniam populus ſiſtitur jam redux factus ex captivitate, paſtores et principes non poſſunt eſſe alii, niſi duces et gubernatores, quos inde ab illo tempore habuit.

f) Hic locus usque ad finem Capitis Apoſtrophe eſt ad Babylo-

Digitized by Google

exſcindere ſoles. 9. Illo vero tempore, dicit Jova, ego exſcindam equos tuos, tuosque currus deſtruam. 10. Evertam oppida terrae tuae, et diruam urbes tuas munitas. 11. Auferam ex te praeſtigias, nec amplius magi apud te reperientur. 12. Exſcindam ſculpta ſimulacra et ſtatuas tuas, non amplius adorabis opera iſta a te fabricata. 13. Lucos tuos deſtruam, perdam urbes tuas. 14. Hanc ego ardente ira mea ultionem ſumam de gentibus, quae obedire renuent.

SECTIO IX. CAPVT VI

1. Audite, quae Jova dicit: Age, expone montibus litem, audiant colles a te dicenda: 2. Audite montes et perennia terrae fundamenta litem Jovae. Litem habet Jova cum ſuo populo, et cum Iſraëlitis contendet: 3. Mi popule! quid tibi feci? aut quanam in re tibi moleſtus fui? proferas, ſi quid habes. 4. Immo vero te ex Aegypto eduxi, ex duriſſima ſervitute te redemi, duces tibi dedi Moſen et Aaronem et Miriam. 5. Recordare, quaeſo, mi popule, quid conſilii contra te inierit Balakus Moabitarum rex, et quid ei reſponderit Bileamus

lonios directa, quibus propheta deſtructionem imperii praedicit. Ad Iſraëlitas non niſi admodum coacte transferri poteſt. Sed praeter contextum favent etiam huic explicationi loci paralleli in Jeremia, ubi ſimiles comminationes contra Babylonios leguntur: Jer. L, 30 ſeqq. LI, 21 ſeqq.

mus Beoris filius? a) *Recordare eorum omnium*, quae inde a Sittim usque ad Gilgalem tibi evenerint, ut intelligas meam erga te benevolentiam — — 6. b) Quomodo ego compaream coram Jova? Genua flectam coram Deo altiſſimo. An cum holocauſtis, cum vitulis anniculis comparendum mihi eſt? 7. Num delectabitur Jova arietum millibus * aut myriadibus fluviorum olei? Num dare debeam filium meum primogenitum victimam peccati mei, fructum ventris mei animae meae piaculum? — — 8. Indicatum tibi eſt, o homo! quid bonum ſit, et quid Jova a te requirat. Nempe aequitatis ſtudium, pietatis amorem, et animum Dei tui reve-

a) Repetendum eſt זְכָר *memor ſis*, ſc. eorum quae tibi feci ſ. quae tibi evenerunt — *Sittim* erat ipſe ille locus, in quo fornicari populus cum Moabitis et Midianitis incepit ex peſſimo Bileami conſilio, Num. XXV, 1. *Gilgal* vero ille locus erat, ubi populus caſtra poſuerat, poſtquam terram promiſſam erat ingreſſus, Joſ. IV, 20. Complectitur igitur illud temporis intervallum maxima Dei beneficia; nempe debellationem Sichonis et Ogi regis Baſanis, liberationem a peſſimo Bileami conſilio, tranſitum per Jordanum, expugnationem Hierichuntis et totius terrae promiſſae.

b) In hoc verſu et ſequenti incipit locus elegans, in quo populus a propheta introducitur interloquens per modum dialogi. Culpam negare non audet, poenitentiam promittit, ſed hypocriticam, modo ſacrificia offert, et diligentem rituum externorum obſervationem, ſed de vera converſione, de vitae emendatione nihil dicit — Reſpondet propheta in verſu 8.

Digitized by Google

verentem. 9. Vox Jovae ad urbem clamat, (qui ſapit, nomen tuum reveretur,) audite poenam vobis infligendam, et qui eam vobis minatur. 10. Nonne adhuc ſunt in domo impii theſauri improbe parti et deteſtabilis iſta menſurae imminutio? 11. Num quis probus aut pius eſſe poteſt, qui trutinam improbam habet? aut in crumena pondus doloſum? 12. Sed iſtius urbis *cives* divites *hujus generis* iniquitatem committunt, et incolae ejus mentiuntur et fraudes nectunt. — — 13. Igitur ego vos ita percutiam, ut vos infirmos reddam, immo propter peccata veſtra perdam. 14. Comedetis, ſed non ſatiabimini, fames vos urgebit. Conabimini veſtros ex iſtis periculis ſervare, ſed non evadent, et, ſi quis forte evaſerit, hunc gladio perimam. 15. Vos ſeminabitis, ſed non metetis, vos calcabitis olivas, nec ungemini oleo, et muſtum *calcabitis*, nec bibetis vinum. — 16. Etenim diligenter obſervari ſolent praecepta Omri, et poſterorum Achabi facta omnia horumque inſtituta illi ſectantur. Propterea ego iſtam urbem prorſus vaſtabo, incolas ejus ſibilandos exponam, vosque *divites* inprimis hoc populi mei probrum feretis.

a) SECTIO X. CAPVT VII, 1-7

1. Ah me miſerum! accidit mihi, quod fit in colligendis frugibus, aut in racematione poſt vindemiam;

a) Deplorat propheta corruptum temporum ſuorum ſtatum.

am, non ſupereſt botrus, quem comedam, non ficus praeſtantior, quam appetam. 2. Pii non ſuperſunt, probi non reperiuntur, omnes ad caedes patrandas inſidiantur, alter alterius interitum machinatur. 3. Manus ad malum paratas habent, * non ad bonum. Princeps munera poſcit, judex ex eo quod accepit judicat, magnates pravas animi cogitationes libere produnt et conjunctis viribus exſequuntur. 4. Bonus inter eos ſimilis eſt ſpinae ſcorpii, et probus * inter eosdem pejor eſt ſepi ſpinoſa. Tempus judicii divini, quod tui tibi prophetae praedixerunt, poena tua adventat, mox ſumma ſequetur mentis perturbatio. 5. Ne credatis amicis, ne confidatis familiaribus, ne uxori quidem arcana tua patefacias. 6. Filius patrem vilipendit, filia matri adverſatur, nurus ſocrui, et patri familias inimici ſunt ejus domeſtici.

b) SECTIO XI. CAPVT VII, 7-20

7. Ego vero Jovam reſpiciam, exſpectabo Deum, a quo ſalus mea venit, Deus meus me exaudiet. 8. Noli de me laetari, *c*) o mihi inimica! quamvis cecidi-

b) Erigit ſe propheta et conſolatur ſpe meliorum temporum.

c) Sub *inimica* propheta Chaldaeos intelligit, quos per Apoſtrophen alloquitur ſub perſona populi Judaici abducti in captivitatem, inde ab hoc verſu usque ad verſum undecimum.

ciderim, ſurgam; quamvis in tenebris ſedeam, Jova mea lux eſt. 9. Iram Jovae feram, nam contra eum peccavi; donec cauſam meam cognoſcat, litemque meam diſceptet. Res meas iterum proſperas faciet, ut de bonitate ejus laetari poſſim. 10. Quod cum mea inimica viderit, pudore ſuffundetur, illa, quae negabat Jovam Deum meum mihi adeſſe; videbo eam pedibus conculcatam, ut lutum platearum — — 11. *d*) Tempus veniet, quo muri tui reſtituentur; tempus, quo *e*) ſtatuta iſta minus valebunt. 12. Tempore illo confluent ad te homines ex Aſſyria et Aegypti urbibus, ab Aegypto usque ad Euphraten, a mari ad mare, a monte ad montem. 13. *f*) Antea vero terra haec cum habitatoribus ſuis vaſtabitur, prouti moribus ſuis commeruerunt. 14. *g*) Paſce populum

d) Invertit propheta ſermonem ad populum Iſraëliticum, quem ut foeminam alloquitur.

e) h. e. ritus et mores peregrinarum gentium, inter quas adhuc vixiſtis, quorum ſtatuta propterea vobis imitanda et obſervanda fuerunt. Ita חק etiam ſupra dicebatur VI, 16.

f) Antequam vero hae promiſſiones impleantur, terra haec vaſtabitur etc. Alii hunc verſum de Chaldaeorum terra intelligunt: *illa vero terra vaſtabitur.* Priorem ſenſum praefero propter membrum poſterius.

g) Sunt preces prophetae ad Deum directae, ad quas Deus verſu

pulum tuum pedo tuo, paſce gregem tuum ſolitarie degentem in locis ſilvoſis, in arvis amoeniſſimis; paſcatur, uti olim, in Baſane et Gileaditide — — 15. Mira illis oſtendam, quemadmodum tum cum ex Aegypto egreſſi eſſent — — 16. Videbunt hoc gentes, atque intelligent ſe ſua potentia nihil poſſe efficere: manum ori imponent, aures eorum obſurdeſcent: 17. Lingent pulverem, uti ſerpentes: uti terrae reptilia, pavebunt in ſuis carceribus; Jovam Deum noſtrum timebunt, eumque reverebuntur — — 18. Quis eſt Deus tui ſimilis, qui culpae ignoſcis et peccatum condonas reliquis a te electis? Non ſemper iram tuam retinebis, nam benignitate delectaris. 19. Noſtrum iterum miſertus delebis peccata noſtra, abjicies in fundum maris delicta noſtra omnia. 20. Fidem praeſtabis Jacobitis, promiſſa illa adeo benigna Abrahamo data, et quae deinde majoribus noſtris jurejurando interpoſito denuo confirmaſti.

verſu 15. reſpondet; propheta vero verſſ. 16. et 17. fiduciam ſuam his Dei promiſſionibus teſtatur, et verſſ. 18. 19. 20. egregio epiphonemate Dei benignitatem celebrante concludit.

a) NAHUM

CAPVT I

1. Sententia adverſus Niniven. Vaticinium Nahumi Elkoſchaei. 2. Deus aemulus eſt, et ultor Jova. Ultor Jova eſt, graviter iraſcitur, ultionem ſumit de adverſariis ſuis, et injuriae memor eſt in hoſtes ſuos. 3. Jova, ad iram tardus, et viribus magnus, impunem neminem eſſe ſinit. Jova incedit in procella et tempeſtate. Ei nubes ſunt pulvis pedum. 4. Mare increpat et areſacit, omnia flumina valet exſiccare. Languet Baſan et Carmelus, languet Libani viriditas. 5. Montes per eum commoventur, colles diſſolvuntur, et

a) In hunc et ſequentem prophetam exſtat Commentarius parum quidem notus, ſed dignus ex mea ſententia qui legatur, cum auctor ejus viam ingreſſus ſit, ad removendas difficultates ſubinde obvias, tutiſſimam. Nempe hiſtoria duce multa prophetae obſcurius dicta diſtincte explicavit. Titulus libri eſt: *Kalinsky* Vaticinia *Chabacuci* et *Nachumi*, item nonnulla Jeſaiae, Micheae et Ezechielis oracula, obſervatt. hiſtorico-philologicis ex hiſtoria Diodori Siculi circa res Sardanapali illuſtrata etc. Vratislaviae MDCCXLVIII. In verborum et phraſium difficiliorum explicatione mihi quidem non ſemper ſatisfecit, ſed illis locis, in quibus propheta de rebus geſtis aut gerendis loquitur, lucem accendit ex hiſtoriae monumentis non contemnendam.

et tremit ejus adventu tellus, orbis et omnes ejus incolae. 6. Saevitiam ejus quis ſuſtineat? et quis, ira ejus ardente, conſiſtat? Bilis ejus ſicuti ignis * liquat omnia et petrae ab eo deſtruuntur. 7. Bonus eſt Jova, praeſidium tempore adverſo, curam gerit eorum, qui ad eum confugiunt. 8. Ingruente inundatione tollet * qui ei reſiſtere audent, et adverſarios ſuos perſequetur tenebris. 9. Quid contra Jovam machinamini? eam perniciem inducet, *b*) ut calamitas iteranda non ſit; 10. * Funditus deſtruentur, pro ebrietate ſua temulenti erunt, abſumentur ut ſtipula arida. 11. Ex te egreſſus eſt, qui mala in Deum machinabatur, conſiliarius peſſimus — — 12. *c*) Haec dicit Jova; ſi integri manſiſ-

b) Nonnulli interpretes verba hebraica לֹא תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה ſic vertunt: *non ſurget altera vice adverſaria*, et de duplici Ninives expugnatione explicant. Sed neque vocabulum פעמים hanc admittit interpretationem, neque contextus ei favet. Sermo continuatur in numero plurali etiam in ſequenti verſu de eodem ſubjecto, quod ſecundum illam explicationem in his verbis mutatur et ſub alio ſchemate ſiſtitur.

c) Verſus eſt admodum difficilis propter breviloquentiam, ex qua ſine dubio etiam, ut recentiorum, ita et antiquiorum interpretum explicationes tantopere diverſae venerunt. Quoniam igitur ex illis nihil certi de diverſa lectione colligi poteſt, receptam textus hebraei lectionem ſecutus ſum. Formula praemiſſa, *haec dicit Jova*, aliud ſubjectum, quod

ſiſſent, potentes quoque manſiſſent. Jam vero, *cum aliter ſe res habeat*, imminuti ſunt et ſublati. Attamen quanquam te afflixi, tamen non te affligam amplius. 13. Jam enim jugum ejus tibi impoſitum frangam, et vincula tua abrumpam — *d*) 14. De te vero Jova ſtatuit, ut tui nominis memoria pereat. Ex templo Dei tui exſcindam omnia ſculpta et fuſa ſimulacra, ſepultus jacebis omnium contemtui expoſitus.

CAPVT

propheta alloquitur, indigitat, quod populus Judaicus eſſe videtur, cui praedicata hujus et ſequentis verſus bene conveniunt. Nimirum cauſa immiſſae per Aſſyrios afflictionis indicatur, adjuncta mox ſecuturae liberationis promiſſione: Si Judaei probi et integri manſiſſent, quales ſub Hiskia fuerunt, manſiſſent etiam potentes et validi ad reſiſtendum hoſtibus ſuis: Jam vero (וְכֵן) quoniam ſub Manaſſe rege impio ab illa integritate ſua receſſerunt, (נָגוֹזוּ) attonſi ſunt, h. e. vires eorum ab Aſſyriis imminutae et debilitatae ſunt. עבר vel in ſpecie de Manaſſe in captivitatem abducto, vel in genere etiam de populo poteſt accipi. Adjuncta promiſſio non habet difficultatem, et ſimiles phraſes in ſimilibus locis obviae ſunt. Mutatio numeri et perſonae nemini, qui prophetarum ſtilum novit, durior videbitur. Idem ſermonis ſubjectum manet, alloquitur tantum propheta populum ut foeminam.

d) Convertit propheta ſermonem iterum ad Aſſyrios, et in ſpecie ad regem, quod ex mutatione generis foeminini in maſculinum colligo.

CAPVT II

1. *a*) En venit ſuper montes laetus nuntius, pacis exſpectandae. Age Juda tua feſta, ſolve tua vota. Etenim non amplius in te graſſabitur nequam. Totus exciſus eſt. 2. Depopulator te invaſerat. Jam ipſe obſidione premitur. Speculare viam, confirma latera, auge vires admodum. 3. Jova enim *b*) auferet injuriam Jacobo aeque ac Iſraëli illatam, ſiquidem praedones utrumque exhauſerant *c*) palmitesque eorum corruperant — *d*) 4. Clypei heroum ejus rubent: milites coccino induti.

a) Verſu 1-4. eſt laeta prophetae acclamatio ad Judaeos directa, qua eos conſolatur propter injuriam ab Aſſyriis acceptam, dum bellum ab Arbace Sardanapalo inferendum praedicit.

b) Hunc ſenſum verborum hebraeorum כִּי שָׁא יְהוָֹה אֶת גְּאוֹן יַעֲקוֹב כִּגְאוֹן יִשְׂרָאֵל LXX interpretes fecerunt, dum vertunt: *διότι ἀπέστρεψε Κύριος τὴν ὕβριν Ἰακώβ, καθὼς ὕβριν τοῦ Ἰσραήλ*: qui ſenſus neque a verborum ſignificatione, neque a contexto alienus videtur. Syrus, Chaldaeus et plerique interpretes recentiores ſic: Reddit Jova Jacobo gloriam ſ. dignitatem ſuam, ut et Iſraëli. Sed tunc legendum eſt הֵשִׁיב, nec facile doceri poteſt, quomodo utrique regno Judae et Iſraëli priſtina reddita ſit dignitas, per illam regni Aſſyriaci deſtructionem.

c) Primores populi in captivitatem abducti.

d) Verſu 4. 5. 6. deſcriptio eſt apparatus bellici ab utraque parte cum Medorum tum Ninivitarum.

duti. Currus falcati inſtar ignis fulgent tempore pugnae: haſtae jam agitantur. 5. Per vicos furunt currus: per plateas diſcurſitant. Aſpectus eorum eſt ſicuti facium, ut fulgura diſcurrunt. 6. Recordatur *rex Nin ives* ſuorum nobilium, impingunt incedendo, properant ad murum, parata eſt teſtudo — — 7. *e*) Portae fluminum apertae ſunt, *f*) palatium diſſolvitur. 8. *g*) Regina quoque abducta rogum aſcendere cogitur, pediſſe-

e) Verſu 7 - 14. deſcribitur ipſa urbis expugnatio. *Portae fluminum* ſunt aditus ex Tigridis inundatione, per quam murus ad viginti fere ſtadia dejectus eſt; qui portis comparantur, quod viam aperuerunt oppugnatoribus, qua urbem intrare potuerunt.

f) Non inundatione eadem, ſed vi flammarum palatium regium deſtructum eſt. Nam pyra illa, qua Sardanapalus ſe ſuosque vivos combuſſit, per quindecim dies arſit.

g) Quid ſignificet הֻצַּב, quod in textu hebraeo legitur, de eo magnus eſt cum antiquiorum tum recentiorum interpretum diſſenſus. Equidem ſecutus ſum in verſione Chaldaei interpretis ſententiam, quae eſt etiam multorum aliorum cum Judaeorum tum Chriſtianorum. Sed non ignoro, ex uſu linguae hanc vocabuli הֻצַּב ſignificationem probari non poſſe. Nam quod regina ita dicatur, quia adſtat (נצבה) ad dextram regis, ſecundum Pſ. XLV, 10; haec a Kimchio allata multisque probata ratio mihi quidem nihili videtur. Sed praedicata, quae vix alii ſubjecto melius conveniunt, quam reginae, atque implementum, quod ex

diſſequae ejus uti columbae *h*) gemunt, pectora ſua tundentes. 9. Ninive ſimilis erat piſcinae aquarum inde ab antiquiſſimis temporibus. Jam fugiunt illae aquae. Conſiſtite! conſiſtite! Sed nemo reſpicit. 10. Diripite argentum, diripite aurum. Immenſa eſt divitiarum copia. Pretioſiſſima quaeque elegantiſſimae ſupellectilis. 11. Prorſus direpta, depopulata et exinanita eſt. Corda molleſcunt, genua labant. Dolore vehementiſſimo excruciantur; omnium facies pallorem contrahunt — — 12. *i*) Ubi eſt leonum luſtrum, eorumque paſcua, quo ſe leo, leaena et leoninus catulus recipiebant, nemine deterrente? 13. Leo quantum ſatis erat ſuis catulis rapiebat, leaeniſque ſuis ſtrangulabat. replebat antra et luſtra ſua rapta praeda. 14. En ego in te ferar, inquit Jova omnipotens, igni incendam * cubile tuum. Leunculi tui gladio peribunt, exſcindam e terra rapinam tuam. Non amplius * fama tuorum facinorum audietur.

ex hiſtoria doceri poteſt, probabilem reddunt explicationem, meliore non ſuppetente. Cf. *Kalinsky* l. c. pag. 265.

h) נהג h. l. gemere q. ſuſpiria ducere. Cf. *Schultens* in Animadverſſ. philol. ad h. l.

i) Sub hoc ſchemate praedicit propheta arcis regiae excidium, quae ſpoliis ex direptione aliarum gentium coacervandis inſervierat, atque interitum Sardanapali et familiae ejus. Placet enim cum *Kalinskio* de his potius quam de urbe Ninives hunc locum intelligere, quia in priori oppugnatione urbs nondum deleta eſt, ſed arx modo regia.

Digitized by Google

CAPVT III a)

1. Heu urbem ſanguinariam, totam mendacem, rapina plenam, a violentia nunquam ſe abſtinentem. 2. Auditur jam ſonus ſcuticae et ſonus actae rotae et equi quadrupedantis et quadrigae ſalientis. 3. Video equitem advenientem, gladium flammantem, haſtam fulgentem, multos caeſos, ingentem cadaverum vim infinitaque corpora, adeo ut in ea impingatur. 4. *Haec vero fient* propter tot libidines meretricis venuſtae maleficiis uſae, *b*) quae gentes nationesque ſuis libidinibus et maleficiis vendidit. 5. En contra te inſurgam, inquit Jova omnipotens. Retegam ſinus veſtium tuarum in faciem tuam et oſtendam gentibus verenda tua et regnis obſcoena tua. 6. Sordes in te conjiciam, ignominioſe te tractabo et ut oſtentui ſis faciam: 7. Ita ut quicunque te viderit, te fugiat dicatque: periit Ninive, quis ejus vicem dolebit, unde tibi quaeram conſolatores? 8. Tune praeſtantior es *c*) Dioſpoli ad flumina ſita, at-

a) Novus ſermo incipit, in quo propheta agit de expugnatione Ninives poſteriore per Cyaxaren.

b) Aſſyrii multas alias gentes ſibi per fraudulenta foedera ſubjecerant.

c) Sub נֹא־אָמוֹן quod in textu legitur, *Dioſpolin* ſ. *Thebas* Aegyptiacas intelligendas eſſe, docuerunt *Bochartus* in Phaleg Lib. I. Cap. I. pag. 6. et *Petrus Zornius* in Hiſtoria et antiquitt. urbis No-Amon, inſertis Opuſculis ejus ſa-

atquis circumdata, cujus munitio mare, cujus murus marinus. 9. Cujus robur Aethiopes erant, Aegyptii infiniti, Afri et Lybii erant ei auxiliantes. 10. Atque tamen ea captiva abiit in exilium, infantes ejus alliſi ſunt paſſim per plateas, de ejus nobilibus jacta ſors eſt, et optimates ejus catenis vincti. 11. Ita tu quoque *d*) ſimilibus calamitatibus afflicta quaeres defenſionem ab hoſte. 12. Omnes tuae munitiones ficus erunt cum fructibus primitivis, qui concuſſi decidunt in os comeſuri. 13. En milites tui foeminae ſunt, hoſtibus tuis apertae ſunt portae terrae tuae, conſumſit ignis tua repagula. 14. Hauri aquam qua in obſidione uti poſſis, confirma munitiones tuas, ſubige coenum, calca lutum et repara fornacem laterariam —— 15. Tunc te ignis conſumet, perdet te gladius, conficiet te ut bruchus. Eſto tam copioſa quam bruchi, tam copioſa quam locuſtae. 16. Sint mercatores tui ſtellis caeleſtibus numeroſiores, uti locuſtae ſe diffundent et avolabunt. 17. Optimates tui ſunt ſicuti locuſtae, tuique prin-

ſacris, Tom. II. pag. 343. Factam eſſe hanc celeberrimae hujus urbis vaſtationem ab ipſo illo Aſſarhaddone ſ. Sardanapalo, probavit *Kalinsky* l. c. pag. 89. et 278.

d) In textu hebraeo tropus eſt inebriationis ex potu calicis divini, quo ſaepe prophetae utuntur ad gravitatem judiciorum divinorum deſcribendam. Cf. Obadj. v. 16. et inprimis Jer. XXV, 15 ſeqq. Perſpicuitatis cauſa h. l. tropus cum verbis propriis mutandus videbatur.

principes ut locuſtarum copia inſignis, quae, cum frigus eſt, haerent in ſepibus, orto ſole avolant, ita ut quo loco fuerint non appareat. 18. Dormitant paſtores tui, Rex Aſſyriae, *e*) quieti ſe dederunt tui nobiles, *f*) divagatur populus tuus per montes, nemine colligente.

e) Offenderunt interpretes nonnulli v. c. *Druſius*, *Cappellus* (in Notis philol. ad h. l.) in verbo יִשְׁכְּנוּ quod h. l. legitur, aliam ejus ſignificationem quam *habitandi* ignorantes. Legendum putarunt יִשְׁכְּבוּ atque hanc lectionem partim parallelismo prioris membri נמו רעיך partim auctoritate verſionis graecae, quae habet ἐκοίμησε, defenderunt. Sed bene habet. Neque LXX interpretum verſio favet huic lectioni, neque recepta lectio pugnat cum priori membro. Etenim שכן in primaria ſignificatione eſt *quieſcere*, ex qua ſecundaria *habitandi* venit. In libris Vet. Teſt. ſaepius obvia illa altera; nec tamen illa, quam primariam diximus, Hebraeis ignota fuit, cum plura ejus exempla inveniantur. Cf. *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad Pſ. LXVIII, 19. et *Schultens* in Animadv. philol. ad h. l. Hic quidem ſub ſomno et quiete in h. l. *mortem* intelligendam eſſe negat, rationibus autem, uti mihi videtur, infirmis uſus. Cf. Pſ. LXXVI, 6. noſtro loco valde parallelus.

f) Omnes quos quidem inſpexi interpretes נָפֹשׁוּ quod h. l. in textu hebraeo legitur, deducunt a verbo פּוּשׁ; cum vero hujus ſignificationem, *abundantiae* nimirum, contextui parum aptam videant, illud פּוּשׁ pro פּוּץ poſitum eſſe ſtatuunt, per literarum ſimilium confuſionem. Sed recte, uti

gente. 19. Cladem irreparabilem accepiſti, vulnus tuum eſt immedicabile. Quicunque de te audiunt, manus complodunt, quis enim a te non ſemper fuit laceſſitus?

HABACUC

SECTIO I. CAPVT I, 1-4

1. Vaticinia ab Habacuco propheta prolata. 2. Quousque, o Jova, ad te clamabo non exaudientem? Conqueror apud te de injuſtitia, ſed non ſuccurris. 3. Cur permittis ut nil niſi iniquitatem videam? cur pateris injuriam committi? nihil niſi perniciem et oppreſſionem video, contenditur et litigatur. 4. Propterea etiam lex negligitur et bona cauſa nunquam obtinet. Cum impius pium circumvenit, jus perverſe dicitur.

uti arbitror, *Schultenſius* l. c. hanc verborum permutationem negavit atque כפשׁון *ἅπαξ λεγομένοις* annumerandum eſſe docuit, in lingua vero Arabica ſaepe obvium iisdemque literis ſcriptum, cujus ſignificatio propria etiam contextui optime conveniat. Nempe כפשׁ Arabibus dicitur de grege ſine paſtore divagante. Exempla ex uſu loquendi Arabico legi poſſunt l. c. Forma vero verbi נָפּוֹשׁ eadem eſt quae in יָכוֹל et quibusdam aliis.

a) SECTIO II. CAPVT I, 5 - 11

5. Videte * perfidi et attendite et attoniti ſtupete, faciam enim veſtris temporibus aliquid, quod dictu vobis videatur incredibile. 6. En ego excitabo Chaldaeos, gentem fortem et velocem, late ſe per terrarum orbem diffundentem ad occupandas regiones alienas. 7. Horribilis eſt et terribilis, leges feret et edicta dabit pro libidine et arbitrio ſuo. 8. Equi ejus pardis ſunt velociores, viſu ſunt acutiores lupis veſpertinis, equites ejus *b*) ſuperbia exultant, veniunt e longinquo, advolant

a) Reſpondet Deus ad praecedentes prophetae querelas.

b) Verbum פּוּשׁ quod praeter h. l. bis tantum legitur, ex linguis cognatis explicandum eſt, niſi malimus, quod ſane faciunt plerique interpretes, ſignificationem ejus ex contextu utcunque divinare. *Ludovicus* quidem *de Dieu* linguam Aethiopicam in ſubſidium vocavit, in qua פוש *ſanum eſſe* ſignificat, atque hunc ſignificatum h. l. et duobus aliis Jer. L, 11. et Maleachi III, 20. dum *ſanus* pro robuſto et valido dicatur, tribui poſſe judicavit. *Schultenſius* vero ex lingua Arabica contulit פאשׁ *ſuperbire*, idque h. l. et duobus aliis ſupra citatis convenientiſſimum eſſe docuit, cui et ego aſſentior; neque minus in eo, quod פָּרָשָׁיו bis in textu obvium, primo per *equos*, deinde per *equites* vertendum ſit. Nam פרש utrumque ſignificare, *Lud. de Dieu* in Critica S. ad Eſ. XXII. et *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. VI. pag. 98. probarunt. In ver-

lant uti aquila ad volandum properat. 9. Totus ille populus ad vim inferendam intentus eſt, * faciem ſuam verſus Orientem directam habet, congerit rapinam tanquam arenam. 10. Ipſe autem, *rex Aſſyriae Aſſarhaddon*, reges irridet et principes ludibrio habet, ridet omnes munitiones, aggere ſtructo capit eas. 11. Deinde vero omnes modeſtiae fines excedet et graviter delinquet, ſuae potentiae nimium confidens.

c) SECTIO III. CAPVT I, 12-17

12. Nonne tu ea aeternus ille, Jova Deus meus ſanctus? Non permittes ut omnino pereamus. Uſus eo (nempe rege Aſſyriae) es, o Jova, ad judicia tua exequenda, fundaſti eum tanquam rupem ad puniendum. 13. Puriores ſunt oculi tui, quam ut ſcelus ferant: non potes adſpicere iſtam crudelitatem. Quare ferres homines iſtos ſceleratos, et taceres impio ſe longe juſtiorem devorante? 14. Haberesne homines eodem loco quo piſces aut reptilia quae defenſorem non habent? 15. Omnes hamo ſuo trahit, cogit eos reti ſuo et colligit in ſagena ſua. Laetatur deinde et exultat, 16. ſa-

verſione vero prius illud פרשיו omiſi, quod ejus repetitio nimis otioſa videbatur.

c) Novae prophetae querelae propter calamitatem terrae Judaicae a Chaldaeis illatam, additis variis argumentis, quae Deum ad auxilium ferendum moveant.

Digitized by Google

ſacrificat reti ſuo et adolet ſagenae ſuae, quaſi per ea tantam potentiam ſit et divitias conſecutus. 17. Et tamen ille ſemper perget evacuare rete ſuum, gentesque ſine miſericordia occidere?

SECTIO IV. CAPVT II, 1-20

1. Sto ego in ſtatione mea et conſiſto in ſpecula expectans, quid mihi dicat et quid reſpondeam, *vel mihi*, *vel aliis*, ad illas dubitationes meas. 2. Tunc Jova mihi hunc in modum reſpondit: Scribe hoc vaticinium in tabulas, et quidem tam diſtincte, ut lector ſine mora legere poſſit. 3. Suo enim tempore implebitur illud vaticinium, tandem apparebit nec fallet: ſi moram fecerit, expecta, certiſſime veniet, non morabitur. 4. En *a*) vehementi timore agitatur, qui non

a) Omnibus aliis omiſſis, quae de hoc verſu, in cujus interpretatione viri docti tantopere diſſentiunt, dici poſſent, pauca tantum afferam, quae ad verſionis meae explicationem faciunt. 1) *Subjectum* mihi eſſe videtur עֻפְּלָה ad quod נֶפֶשׁ ſupplendum eſt, quanquam prorſus *πλεονάζει* et de toto homine intelligendum. Sed propter genus foemininum in עפלה iſta ellipſis neceſſaria eſt. 2) *Praedicatum* eſt: לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ in quo אשר deeſt. 3) עפל proprie ſignificat *tumere* et de rebus aeſtu interiori commotis et tumentibus dicitur; deinde transfertur ad affectus animi vehementiores. Huic opponitur *τὸ* ישר

non animo eſt bene compoſitus, ſed pius propter illam fidem ſuam ejus implementum videbit — — 5. *b*) Nimirum vinum perdet virum iſtum ſuperbum, in illo ſtatu ſuo non permanebit. Is cujus appetitus eſt ſicuti inferni aut ſicuti mortis inſatiabilis, qui omnes ad ſe gentes cogit omnesque ad ſe nationes congregat. 6. At enimvero illae ipſae *gentes et nationes* omnes eum irridebunt et dicteriis et ſannis excipient. Heu! inquient, hic eſt ille, qui coacervabat, ſed ad breve modo tempus, quae ſua non erant, qui caducas divitias ſibi tantopere multiplicabat — — 7. Immo mox ſurgent, qui te mordeant; expergiſcent, qui te vexent, a quibus diripiaris. 8. Etenim tu ſpoliaſti gentes multas, illae igitur te viciſſim ſpoliabunt, propter caedes plurimas hominum, propter

ישר quod *ſtratum* et *complanatum* ſignificat. De his vocibus cf. Cel. *Schroederus* in Obſervatt. ſelectis ad Orig. Hebr. pag. 63. 4) Poſterius verſus membrum explicat prius. Homo pius, qui fidem habet verbo Dei ejusque promiſſionibus, opponitur עֻפְּלָה עֻפְּל atque ei אֲשֶׁר בּוֹ לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ hoc eſt ei, qui variis animi commotionibus agitatur, nec habet mentem quietam et tranquillam: quae periphraſis eſt hominis dubitantis et timentis ſibi et aliis, ſive hominis increduli, cui, uti diximus, propheta in poſteriori membro *credentem*, *fidem habentem divinis promiſſionibus* opponit.

b) Incipit illud vaticinium, de quo propheta in antecedentibus verſibus dixerat.

propter direptionem terrarum et urbium omniumque in iis habitantium. 9. Vae lucro inhianti, ſibi ſuisque pernicioſo, qui in ſublimi nidum ſuum ponebat, ut tutus eſſet ab omni mali impetu. 10. Male conſuluiſti domui tuae, perdendo gentes multas tibi ipſe perniciem intuliſti. 11. Nam lapis ex muro clamat, et contignatio contra te teſtatur. 12. Vae illi qui urbem caedibus exſtruit, qui civitatem ſceleribus condit. 13. Haec vero Jova omnipotens minatur: *c*) gentes laborant in eo quod igne conſumetur, et nationes fatigantur in eo, quod in nihilum redigetur. 14. Ex quo totus terrarum orbis Jovae majeſtatem cognoſcet, uti profunda maris aqua teguntur. — — *d*) 15. Vae tibi qui alios potare facibus et lagenas tuas propinando inebriabas, ut pudenda eorum adſpicere poſſes. 16. Plus infamiae quam gloriae tibi erit; jam tu quoque bibe et denudare. Vertatur ſuper te calix dextrae divinae et vomitus ignominioſus ſequatur illam tuam gloriam. 17. Eadem violentia, quam in Liba-

c) Intelligitur vaſtatio et combuſtio arcis regiae et ipſius urbis Ninives tantis ſumtibus exſtructae. Similes phraſes Jeremias de Babylonis deſtructione adhibuit Cap. LI, 58. Cf. *Kalinsky* l. c.

d) Allegorice haec ſunt intelligenda, de perfidia Chaldaeorum, qui foederibus alliciebant populos, quos deinde ignominioſe tractabant. Cf. Nahum III, 5. ubi ſimiles phraſes de eadem re, et Jer. XXV, 27.

Libanum exercuiſti, te quoque obruit, et iſta ferarum vaſtatio * te quoque terrebit, propter caedes plurimas hominum, propter direptionem terrae *Iſraëliticae*, urbium omniumque incolarum. — — 18. *c*) Quid prodeſt ſculptum ſimulacrum, quod faber fecit, aut fuſum idolum, quod mendacium docet? Atque tamen ſpem ponit opifex in opere ſuo, quamvis muta fecerit ſimulacra. 19. O ſtultum hominem! qui ligno dicit, expergiſcere, ſurge, lapidi tacenti. Num is oracula edet? Auro quidem et argento eſt obductus, ſed nulla vita eſt in ipſo. 20. At Jova in templo ſuo ſanctiſſimo habitat, revereatur eum univerſus terrarum orbis.

SECTIO V. CAPVT III

1. Preces Habacuci prophetae *a*) ad modos odarum canendae — — 2. O Jova, audivi quod dixiſti, et timeo.

c) Docet propheta vanam eſſe ſpem quam Chaldaei in idolis ſuis ponerent, fruſtra ab his auxilium aut defenſionem expectari.

a) In vertendis verbis עַל שִׁגְיֹנוֹת interpretes antiquiores et recentiores in duas fere partes abeunt. Alii ex originatione vocabulum שְׁגִיגוֹת verterunt. Sic ex antiquis Aquila, Symmachus et quinta edit. ἐπὶ ἀγνοημάτων. Theodotion: ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν. Vulgatus: pro *ignorantiis*. Quibus ego quoque olim acceſſi atque ex ſignificatione verbi שגה *de-*

timeo. Perfice, o Jova, illud opus tuum intra illud tempus, plane intra illud tempus appareat, te, quamvis iratum, tamen iterum miſereri. 3. *b*) Deus

defecit, *deſideratus eſt*, ſubſtantivum שִׁגָּיוֹן *defectum*, *indigentiam* derivaram et argumento carminis non abſimilem ſenſum horum verborum putaram: *pro avertenda calamitate.* — — Sed jam magis inclino ad partes eorum interpretum, qui vocabulum illud ad poeſin Hebraeorum referunt er modos vel numeros indicari putant, ad quos hoc carmen vel compoſitum vel canendum fuerit. Quae ſententia illuſtrari poteſt ex lingua ſyriaca, in qua סְגִיוֹנִיָא *cantiones* indicat, vid. *Caſtelli* Lex. Hept. ſub h. v. quod noſtro שגינות omni ex parte reſpondere videtur. Syrus interpres, cujus explicatio h. l. magni eſſet momenti, omittit haec verba, ut ſimiles Pſalmorum titulos in ſua verſione. *οἱ ὁ* in Cod. Vat. habent: *μετὰ ᾠδῆς.* Arabs: *in modum cantici.* Videntur eodem ſenſu hoc vocabulum accepiſſe. — — Optabile eſt ut Excell. *Eichhorn* inſcriptionibus carminum hebraicorum eam lucem ex Syriacis accendat, qua illas ex his illuſtrari poſſe veriſſime judicavit in praefatione pag. 32. ad *Jones* Commentarios de poeſi aſiatica.

b) Duae partes hujus cantici poſſunt conſtitui. In priori loquitur propheta de interitu regni Chaldaici, in poſteriori de vaſtatione quam Chaldaei antea terrae judaicae eſſent illaturi. Illa igitur reſpicit revelationem poſteriorem Cap. II, haec priorem Cap. I, 5 ſeqq. Propheta nimirum laetus adhuc admiratur, quod modo a Deo audierat, futuram aliquando regni chaldaici everſionem, rogat ut Deus hanc pro-

us ex Themane venit, Sanctus de monte Paran; tegit caelum ejus majeſtas, gloria ejus totum terrarum orbem implet. 4. Splendet ut ſol, radios ſcintillantes emittit, abſconditam ſuam potentiam patefacit.

promiſſionem in ſalutem populi ſui velit implere, verſ. 2. Atque jam certus de illo eventu, deſcribit quomodo Deus illud ſit effecturus. Utitur vero imagine poetica, qua et alii vates ſacri utuntur, ſi divinum auxilium in defenſione aut ſalute populo judaico praeſtita celebrare volunt. Nimirum fingit Deum appariturum in tempeſtate aliqua horribili, inter fulgura et tonitrua conjuncta cum vehementi terrae motu, imbrium et aquarum effuſione et inundatione: Quam imaginem ſumere ſolent et vividius effingere poetae ſacri ab illa magnifica Dei apparitione in monte Sinai. Hanc igitur deſcriptionem ornat noſter usque ad verſ. 13, in quo videtur eſſe apodoſis: ſimili nempe potentia irreſiſtibili Deum pugnaturum eſſe adverſus Chaldaeos, hoſtes iſtos crudeles populi Iſraëlitici, verſ. 13. 14. 15. — — Sed jam meminit divinus vates prioris oraculi Cap. I, 5-11. in quo triſtem a Chaldaeis terrae judaicae vaſtationem inferendam praedixerat. Ejus vero ſummo cum animi dolore recordatur, inprimis cum ſciat implementum ejus non adeo eſſe remotum, verſ. 16. Attamen ſolatur ſe ſpe meliorum temporum, verſ. 17. 18. — — Dedit hanc, uti mihi quidem videtur, non ineptam hujus carminis diſpoſitionem Auctor Anonymus libelli qui anno ſuperiore octonis prodiit ſub titulo: *Habakuk vates olim Hebraeus, inprimis ipſius Hymnus denuo illuſtratus:* cui et alia nonnulla in explicatione verborum debeo, de quibus infra.

cit. 5. Peſtis eum praecedit, *c*) aves voraces ſequuntur. 6. *d*) Gradum ſiſtit — — terram concutit: aſpicit gentes et diſſipat eas, montes ſempiterni finduntur, colles antiqui ſubſidunt, ruinas aeternas infert.

c) Scilicet ad cadavera occiſorum hoſtium devoranda. Nam רֶשֶׁף neque prunam, neque fulmina ſignificare, quod vulgo in Lexicis dicitur, ſed *avem voracem*, plane demonſtravit Illuſtris *Michaëlis* in libro germanice ſcripto, cui titulum fecit: *Beurtheilung der Mittel, die ausgeſtorbene Hebr. Sprache zu verſtehen*, pag. 298 ſeqq.

d) Fingit divinus vates, Deum in pompa illa terribili, qua eum proceſſiſſe dixerat, ſubſiſtere — — Hinc deſcribit effectus, quos illa mora producat: יְמֹדֶד אֶרֶץ Notio *metiendi*, quae eſt verbi מדד, contexto huic parum apta eſt. Sed מוּד a quo noſtrum ימדד aeque commode derivari poteſt, in lingua Arabica ماد eſt *agitare*, *commovere*, quae notio h. l. aptiſſima eſt. Deus gradum ſiſtens, terram concutit, quod idem de apparitione Sinaitica dicitur. — — רָאָה *aſpicit*, ſc. iratus, *gentes*. Cujus aſpectus iterum ſunt horrendi effectus: montes finduntur, colles deſidunt — — הֲלִיכוֹת עוֹלָם לוֹ Neque horum verborum ſignificatio frequentior ſenſum aptum offert. Commode igitur laudatus Anonymus in l. c. ſignificationem ſubſtantivi הליכה arabicam, *exitium ingens*, *everſio*, linguae hebraicae reſtituit, quae huic ignota eſſe non potuit, quod verbum הלך *perire* aliquoties obvium eſt. Hinc vix dubitem הֲלִיכוֹת עוֹלָם *vaſtationes ſaeculi* h. l. indicare tales everſiones et deſtructiones, quarum indicia poſt multa ſaecula adhuc conſpiciantur.

fert. 7. *e*) Metuunt ſibi Cuſchaeorum tabernacula, contremiſcunt tentoria Midianitarum. 8. *f*) Sic fluminibus, o Jova, iraſceris! ſic ira tua in fluvios ſaevit! ſic adverſus mare indignatio tua, quando equis veheris tuis curribusque *g*) per ſpatia ampliſſima! 9. *h*) Hac cataracta ſuſpectum reddis arcum tuum te-

H 2 ſtem

e) תַּחַת אָוֶן *ſub dolore* (nam אָוֶן aeque ac אוֹן *dolorem, moleſtiam* indicat) *video tentoria Cuſchaeorum*, h. e. vehementer dolent ſibique metuunt.

f) ה cui in ſequentibus membris אִם reſpondet, non eſt interrogativum, ſed affirmativum, quam ſignificationem alias quoque nonnunquam habet, vid. *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l.

g) יְשׁוּעָה ex primaria ſignificatione verbi ישע *ſpatii ampli*, de qua *Schultenſius* in Orig. Tom. I. p. 16 ſeqq.

h) Hanc loci difficillimi explicationem debeo Auctori Doctiſſimo l. c. Qui nempe עֶרְיָה confert cum Arab. عَرْوِيّ *imbrium vehemens effuſio* (*Golius* pag. 1568.) quem nos dicimus *einen Wolkenbruch*, תֵּעוֹר cum عَارَ (ſic enim legendum eſt ſine dubio, non عَارَ *opprobrio affecit* etc.) *fruſtratus eſt, repulit petentem et expectantem*, *Golius* pag. 1667. —— קֶשֶׁת h. l. non eſt arcus militaris, ſed arcus caeleſtis ſ. iris, qui eo quoque nomine venit Geneſ. VIII, 13. 18. —— שְׁבֻעוֹת eſt jusjurandum, quod h. l. ſynecdochice pro ſigno ſanctionis dicitur — tandem מַטּוֹת eſt participium in Hiphil

ſtem promiſſionis, fluminibus terram ſcindis. 10. Vident te montes et contremiſcunt, aquarum gurgites erumpunt, abyſſus reſonat, undis in altum ſublatis. 11. Sol et luna in ſtatione ſua ſubſiſtunt, lucent ſagittae tuae, ſplendent fulgura tanquam tela a te vibrata. 12. Iratus terram pervadis, gentes conteris indignabundus — — 13. *i*) Sic egrederis in ſalutem populi tui, in ſalutem tibi conſecrati. Percutis principem domus impiae, funditus eam evertis. 14. *k*) Diris devoves caput pagorum ſ. metropolin per prin-

phil a נטה *declinare* et אֹמֶר *promiſſio*, ut Pſ. LXVIII, 12. Hac grammatica verborum interpretatione conſtituta Vir Doctiſſ. ſic παραφράζει textum hebraeum: Cataractis caelitus erumpentibus ignominia afficis arcum tuum, (pro quo malim ex ſignificatione verbi citati ſubſtituere: ſpem fruſtraris, quam ex arcu tuo conſpecto concipimus) hoc ſignum ſanctionis, quod demittit h. e. in oculorum ſenſus cadere ſinit promiſſionem olim Noacho datam — — Vel me non monente quisque intelliget, quam apta ſit haec explicatio contexto ſermoni et ſacro poeta digna.

i) Apodoſis incipit praecedentis deſcriptionis poeticae. — — מְשִׁיחַ quod τῷ עַמְּךָ reſpondet, per oppoſitionem debet eſſe populus Judaicus, quem ut Deo ſacrum, poeta vocat, *unctum Dei.*

k) Equidem nolim moroſius defendere lectionem textus hebraei receptam, quae ſane magnis laborare difficultatibus videtur. Sed cum neque ex antiquis verſionibus, haud parum

principes ejus, qui inſtar turbinis me invadebant, ut me diſpergerent, atque exultabant conficere pauperem in obſcuro latentem. 15. *l*) Equis tuis vectus per

 ma-

rum quidem a textu hebraeo diverſis, nec tamen inter ſe conſentientibus, lectio magis probabilis exſculpi poſſit, tutius utique videtur acquieſcere in lectione recepta. Verſio quam dedi hiſtoriae luce ſufficienter poteſt illuſtrari. Nimirum ſermo eſt de Arbace Medorum et Beleſi Babyloniorum ſatrapis, qui a Sardanspalo Aſſyriorum rege defecerant et Niniven oppugnabant. Hi vocantur מַטִּים ab inſigni principatus ſui. Homines enim, non baculos, intelligendos eſſe, apparet ex praedicato יִסְעֲרוּ ad quod אשר ſupplendum eſt, *qui turbinis inſtar invaſerant Judaeos.* Per hos igitur מטים Deus dicitur נקב vel *perforaſſe* h. e. dejeciſſe muros urbis Ninives, vel ex altera verbi ſignificatione *maledixiſſe* h. e. devoviſſe ſ. deſtructioni addixiſſe. Supereſt ראשׁ פְּרָזָיו de quo maxime dubitatur. Sed cum פְּרָז hebraice *pagum* eſſe certum ſit, *caput pagorum* principem ſ. primarium pagum notare analogiae ſimilium denominationum non repugnat. Niniven vero propheta ſic videtur nominaſſe propter amplitudinem ſuam, propter hortos et loca non habitata ab hominibus, quanquam caeterum urbs erat moenibus inſtructa et munita. Affixum τοῦ פְּרָזָיו uti etiam τοῦ מַטָּיו referendum eſt ad ראשׁ in verſu praecedenti, ad principem familiae impiae, qui eſt Sardanapalus. Reliqua hujus verſus non habent difficultatem. Innuit propheta, dignum eſſe Aſſyriae regem hac poena, cujus duces populares ſuos tantis malis affeciſſent.

l) Hic quoque verſus ex hiſtoria admodum perſpicue poteſt illu-

mare, per molem aquarum multarum — — 16. *Sed propter illa*, quae audio, intime doleo, trementia labia vocem intercipiunt, ita afficior, tanquam ſi oſſa mea tabe arroſa eſſent, ut conſiſtere non poſſim, quia video me nullis precibus avertere iſtam calamitatem poſſe; aſcenſuram eſſe gentem *Chaldaeam quae* nos depopulabitur. 17. Quamvis ficus non floreat, nec ſit proventus in vineis, quamvis olea ſpem mentiatur, nec arva frugem ferant, quamvis pecus ex caulis auferatur, nec ſuperſit in ſtabulis armentum; 18. Tamen ego per Jovam exultabo, laetabor de Deo ſalutis meae auctore. 19. Jova Dominus eſt robur meum, *m*) dabit mihi pedes cervinos, meque in loca excelſa eſcendere juvabit, * ut meis carminibus eum laudare poſſim.

illuſtrari. Tigridis nempe inundatione factum eſt, ut magna muri pars dejiceretur, per cujus ruinas Arbaces cum militibus ſuis irrumperet et ſic urbem expugnaret. Quem eventum ſacer poeta non minus vere quam eleganter Deo tribuit atque eadem imagine poetica, qua antea uſus eſt, exornat. Cf. *Kalinsky* in libro laudato pag. 20 ſeqq. et 225.

m) Remoto tropo ſenſus eſt: efficiet ut ego iſta pericula evadam, meque in tuto loco loco collocatum ſervabit.

ZEPHANIA

ZEPHANIA

SECTIO I. CAPVT I

1. Zephanjae, (qui fuit filius Cuſchi, nepos Gedaljae, pronepos Amarjae et abnepos Hiskiae,) Joſia Ammonis filio in Juda regnante, Jova haec dixit: 2. Omnia omnino ego auferam de terra, inquit Jova; 3. Auferam homines et beſtias, auferam aves et piſces, ruinas adeo cum ipſis impiis; perdam ego omnes hujus terrae incolas, inquit Jova. 4. Manu mea contra Judaeam et contra omnes cives Hieroſolymitanos extenta exſcindam ex iſto loco Baalis a) reliquias, omnem ſacrificulorum memoriam atque etiam ſacerdotum delebo. 5. Praeterea etiam eos, qui in tectis ſuis aſtra caeli adorant et qui me quidem colunt, ſed non per me ſolum, ſed et per Molochum jurant. 6. Eos quoque qui me contemnunt, qui me non quaerunt aut curant. — — 7. Revereamini Dominum Jovam, inſtat Jovae dies! paravit ſacrificium ſuisque invitatis indixit. 8. In quo ſacrificii die ego Jova animadvertam in principes et in regis filios et in omnes qui veſtitu peregrino utun-

a) Quas pius rex Joſias exſtirpare non poterat, quanquam in cultu ſacro emendando et reſtituenda unius Dei adoratione ſummum ſtudium adhibuerat, 2 Reg. XXIII.

utuntur. 9. Animadvertam eo tempore in eos, qui *b*) limen tranſiliunt et qui dominorum ſuorum domos rapinis et fraudibus implent. 10. Eo tempore, inquit Jova, querula vox audietur *c*) a porta piſcium et ejulatus *d*) a Miſchna et ingens calamitas a collibus *urbis Hieroſolymae*. 11. Ejulate *e*) Machteſae incolae: nam delebitur *f*) tota Cananaeorum gens, exſcindentur omnes pecunioſi. 12. Eo tempore *g*) perveſtigabo Hieroſolymas diligentiſſime, atque animadvertam in eos qui *h*) ſecure vivunt ſibique perſuaſum habent, me res humanas non curare. 13. Opes eorum diripientur, aedes vaſtabuntur; quas do-

b) Obſervantes nimirum cultum ſuperſtitioſum Dagonis Philiſtaeorum idoli, coll. 1 Sam. V, 5.

c) Cf. Nehem. III, 3.

d) Alia pars urbis, cujus et mentio fit 2 Reg. XXII, 14.

e) Fuit ſine dubio locus hujus nominis Hieroſolymae. Jonathan explicat: qui habitatis circa torrentem Kidron.

f) Eſt ambiguitas, quam propheta conſilio videtur adhibuiſſe in nomine *Canaan*, quod vel Cananitam, vel mercatorem ſignificat, quia haec gens inprimis mercaturam exercebat. Innuere propheta volebat, iſtos mercatores Iſraëlitas ſimiles eſſe impiis Cananitis ex juſto Dei judicio ab ipſis Iſraëlitis deletis. Poſterius membrum explicat prius.

g) In textu eſt: ſcrutabor lucernis Hieroſolymas.

h) Secundum verba hebr. Qui concreti ſ. condenſati ſunt ſuper faecibus ſuis. Cf. Jer. XLVIII, 11.

domos exſtruxerunt, non habitabunt; vinearum, quas conſeruerunt, vinum non bibent. 14. Inſtat ille magnus Jovae dies, inſtat, atque etiam valde approperat terror illius diei; tunc etiam fortiſſimi *i*) anxie auxilium implorabunt. 15. Dies irae erit ille dies, dies anguſtiae et oppreſſionis, dies vaſtationis et deſtructionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nebuloſus et ater. 16. Dies, quo tuba clangetur adverſus urbes munitas et excelſas turres. 17. Ad tantas homines redigam anguſtias, ut non magis quam caeci videant quo ſe vertant, nam contra me peccarunt. *k*) Sanguis eorum ut aqua effundetur, cadavera eorum ut ſtercus abjicientur. 18. Non poterit eos eorum argentum vel aurum ſervare; ab ira mea ſaeviente, ab ardente mea ira tota terra conſumetur, terribilem vaſtationem omnibus hujus terrae incolis inducet.

i) Verbum צרח quod praeter h. l. ſemel extat Jeſ. XLII, 13, non ſimpliciter eſſe *clamare*, ſed in ſpecie *auxilium implorare*, probavit ex uſu loquendi Arabico *Schultenſius* in Animadv. ad h. l. — שָׁם h. l. eſt adverbium temporis, ut ſupra Nahum. III, 15. et Pſ. XIV, 5.

k) Verba textus ita habent: et effundetur ſanguis eorum ut pulvis, et caro eorum ut ſtercus. Diſparitatem in conjunctione troporum adeo diverſorum, quam ſibi ſcriptores hebraei indulgent, in verſione latina non putavi eſſe exprimendam.

SECTIO II. CAPVT II, 1 - 7

1. Inquirite in vosmet ipſi, admodum diligenter inquirite, o gens nullius pudoris, 2. antequam decretum effectum ſuum ſortiatur, (irruet vero ille dies tam cito quam palea a vento abripitur,) antequam vos invadat fervens Jovae ira, antequam in vos veniat judicium Dei irati. 3. Quaerite Jovam, vos manſueti, voluntati ejus obtemperantes, operam date juſtitiae et manſuetudini, fortaſſe ſervabimini, cum Deus punierit. 4. Gaza enim erit deſerta et Aſcalon vaſtata, Aſdodenſes clara luce captivi abigentur, et Ekron funditus evertetur. 5. Heu vos, tractus marini incolae, gens Crethaeorum, vobis haec Jova minatur, Cananitis et Philiſtaeis: Ita vos perdam, ut nemo veſtrûm in terra iſta ſuperſit. 6. Tota illa regio maritima inſerviet paſtoriciarum caularum manſionibus, pecorumque ſeptis. 7. In ea regione paſcent, in Aſcalonis domibus veſpere cubabunt illi de gente Judaica, quos Jova Deus eorum ex captivitate reducet eorum miſertus.

SECTIO III. CAPVT II, 8 - 15

8. Audivi ignominiam Moabitarum et convicia Ammonitarum, quibus populum meum proſciderunt, cum terram ejus invaderent. 9. Propterea ita vivam, inquit Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum; Moabitarum

rum et Ammonitarum terra Sodomae et Gomorrhae ſimilis erit, ſenticeta, ſalinae et perpetua vaſtitas, a populi mei ſuperſtitibus diripienda et gentis meae reſiduis occupanda. 10. Id vero eis eveniet propter eorum inſolentiam. Admodum enim ignominioſe tractarunt populum Jovae omnipotentis. 11. Terribilem Jova in gentes iſtas vindictam exercebit, *a*) deſtruet omnia omnium iſtarum nationum idola, adorabunt eum omnes gentes, omnes *b*) exterorum

a) In textu hebraeo eſt רזה quod vulgo vertitur *macie conficiet*, h. e. paullatim et ſenſim perdet. Sed non ſatis apta h. l. videtur haec explicatio, quia non de judicio lento ſermo eſt, ſed de ſubitaneo, cum omnimodo exitio conjuncto. Igitur illud potius cum *Caſtello* in Lexico Heptaglotto pag. 3557. ex Arabica verbi ſignificatione explicandum puto per *deſtruere*, *perdere*.

b) Quod אִיֵּי הַגּוֹיִם ſint *Inſulae gentium*, hactenus quidem creditum eſt ex teſtimonio antiquorum interpretum ob omnibus Lexicographis et Commentatoribus, quanquam hi ſubinde difficultatem ſentirent, ſi docere debebant, quaenam in hoc vel illo loco gentium inſulae eſſent intelligendae, et cur inſularum potius, quam terrae continentis mentio fieret. Primus, quantum ſcio, in dubium vocavit hanc ſignificationem Illuſtris *Michaëlis*. Argumenta, quibus ſententiam ſuam probavit, legi poſſunt (nec legiſſe poenitebit) in ejus Spicilegio Geographiae exterae Hebraeorum poſt Bochartum pag. 131 ſeqq. Mihi quidem h. l. ſufficit Etymologiam indicaſſe, quam Vir Celeberrimus de hac voce

rum regiones. — — 12. Vos quoque Cuſchaei,
gladio meo interficiemini. 13. Extendam manum
meam adverſus Septentrionem, perdam Aſſyriam, in
vaſtitatem redigam Niniven, in ſolitudinem aridam.
14. Ibi greges cubabunt, omnisque generis animalia
gregalia, pelicanus et hiſtrix in columnarum orna-
mentis pernoctabunt, clamores reſonabunt per fene-
ſtras, limina erunt vaſtata domibus cedrinis deſtru-
ctis. 15. Haec eſt urbs illa exultabunda, ſecure de-
gens, quae ſui ſimilem nullam eſſe gloriabatur — —
o quam eſt vaſtata! ſtabulum ferarum, ita ut qui
eam praeterit, mota manu ſibilet.

SECTIO IV. CAPVT III, 1-8

1. Vae civitati rebelli, contaminatae, opprimenti,
2. quae non vult obtemperare, nec diſciplinam ad-
mittere, quae Jovae non confidit, nec Deum ſuum
colit. 3. Principes ejus leones ſunt rugientes, judices
ejus lupi veſpertini, nihil praedae in poſterum diem
relinquentes. 4. Prophetae eorum leves, homines
perfidi, ſacerdotes ſacra profanant, legem perver-
tunt. 5. Norunt quidem Jovam, quam juſtus ſit,
quanto-

cte dedit. Nempe ab אוי *hoſpitari*, *habitare*, quod adhuc in lingua Arabica ſupereſt, videtur ei formatum אִי, non *inſulam*, ſed *regionem habitatam* ſignificans. Hinc איי הגוים non ſunt *inſulae gentium*, ſed regiones a gentibus extra Palaeſtinam habitatae.

quantopere omnem iniquitatem abhorreat; quotidie fere ſuam voluntatem declarat, nihil intermittit, ſed neſciunt iſti contumaces erubeſcere. 6. Gentes perdidi, arces earum deſtruxi, vaſtavi earum vicos, ita ut nemo eo iter faceret, urbes eorum exſcidi, ut nullus eis incola ſupereſſet. 7. Sperabam fore, ut tandem me timerent et diſciplinam admitterent, ne et eorum terram perderem. Sed quanto magis in alios animadverteram, tanto magis illi perverſe et inique egerunt. 8. Jam vero me expectate, inquit Jova, quo die ad praedandum veniam. Decrevi enim ego *a*) gentes colligere, regna congregare, ut in *b*) eos omnem irae meae furorem effundam; aeſtu enim indignationis meae tota *c*) haec terra conſumetur.

SECTIO V. CAPVT III, 9 - 20

9. Poſtea vero efficiam, ut gentes recte de me ſentiant et loquantur, ut omnes me invocent et unanimi conſenſu colant; 10. E regionibus transfluvialibus Cuſchaeorum cultores mei diſperſi munera mihi afferent. 11. Illo tempore nihil committes, quorum te

a) Chaldaeos aliasque nationes foedere ei junctas.

b) Nempe Judaeos et Hieroſolymitanos. Pronomen enim referendum eſt, non ad ſubſtantivum proxime praecedens, ſed ad ſubjectum verſus praecedentis.

c) Nempe Judaica, ut ſupra I, 18.

te pudere debet, quibus me olim offenderas. Tunc auferam ex te iſtos ſuperbos, nec amplius te efferes propter montem meum ſanctum. 12. Relinquam in te populum humilem et tenuem, mihi tamen fidentem. 13. Iſtae Iſraëlitarum reliquiae abſtinebunt ſe ab omni iniquitate, non mentientur, nec doloſe agent, propterea etiam felices vivent et alta pace fruentur —— 14. Exultate o Sionitae, jubilate o Iſraëlitae, laetamini et geſtite toto corde, o Hieroſolymitani! 15. Suſtulit enim Jova poenas veſtras, hoſtes veſtros removit, Rex Iſraëlitarum Jova inter vos verſatur, non eſt quod ullum malum timeatis. 16. Eo tempore dicetur Hieroſolymitanis, ne metuatis; et Sionitis, ne remiſſi fiatis. 17. Jova enim Deus veſter vobis aderit, potens ſervabit, vehementer de vobis laetabitur, * innovabit vos amore ſuo, geſtiet de vobis gaudio. 18. * Qui impediverunt dies veſtros feſtos, procul a vobis removi. Vae his qui vos probris affecerunt. 19. En ego perdam eos, qui vos affligent eo tempore, ſervabo male affectos, et diſperſos colligam. Efficiam, ut, ubicunque antea contemtui et ludibrio fueritis, celebre nomen conſequamini. 20. Eo igitur tempore vos * collectos reducam, vosque inter omnes gentes inſignes et celebres reddam, rebus veſtris in melius mutatis, vobis ipſis mirantibus, inquit Jova.

HAGGAEVS

HAGGAEVS

SECTIO I. CAPVT I

1. Anno ſecundo Darii regis, primo ſexti menſis die,
Deus per Haggaeum prophetam ad Serubabelem Sche-
altielis filium Judaeorum principem atque ad Joſuam
Jozadaki filium ſummum ſacerdotem ita locutus eſt:
2. Haec dicit Jova omnipotens: Iſte populus negat
quidem tempus veniſſe templi Jovae exſtruendi; 3.
ſed idem ille Jova per me haec vobis reſpondet: 4.
At veſtrum tempus * eſt, ut domos veſtras contabu-
latas habitetis? haec vero domus vaſtata jacet. 5.
Jam vero attendite, inquit Jova omnipotens, ad ea
quae vobis hactenus evenerunt: 6. Seminatis multum,
ſed parum metitis; editis, nec ſaturamini; bibitis, ſed
non ſufficit ut large bibere poſſitis; tam tenuiter eſtis
veſtiti, ut non ſatis ſit corpori fovendo; omne, quod
quis forte in negotiis ſuis lucrum fecerit, perit, tan-
quam ſi in ſacculo perforato eſſet repoſitum. 7. At-
tendite igitur, inquit Jova omnipotens, ad has rei
veſtrae familiaris rationes — — 8. Aſcendite mon-
tem *Libanum*, advehite ligna, et aedificate hanc
aedem, in qua majeſtatem meam manifeſtare mihi
placebit. 9. Ad rem veſtram augendam intenti eſtis,
ſed en diminuitur; et, ſi quid vobis acquiritis, tan-

quam

quam vento a me diſſipatur; quam ob rem? inquit Jova; ob aedem meam, quae vaſtata jacet, quod vos tantum in rebus veſtris occupati eſtis. 10. Propterea etiam caelum rorem et terra proventum ſuum vobis negat. 11. Induxi ſiccitatem in agros, in montes, in frumentum, in muſtum, in oleum, in omnes terrae proventus, in homines et animalia, et in omnia quae ab hominibus parantur — — 12. Tum Serubabel filius Schealtielis et Joſua filius Jozadaki ſummus ſacerdos et univerſus populus Jovae Deo ſuo obtemperarunt, et illis quae Haggaeus propheta ex mandato Dei dixerat. Omnes igitur Jovam veriti ſunt. 13. Tum Haggaeus legatus Jovae hujus juſſu populo promiſit, Jovam gratia et auxilio ſuo eis adeſſe. 14. Serubabelis vero Schealtielis filii Judaeorum principis, nec non Joſuae Jozadaki filii ſummi ſacerdotis, atque adeo totius populi animos Jova excitavit, ut opus ad aedem Jovae Dei omnipotentis conſtruendam ſuſciperent. 15. Factum hoc eſt quarto et viceſimo die ſexti menſis, ſecundo anno Darii regis.

a) SECTIO II. CAPVT II, 1-9

1. Viceſima prima menſis ſeptimi Jova Haggaeo prophetae mandavit, 2. ut Serubabeli Schealtielis filio Judaeorum principi atque Joſuae Jozadaki filio ſummo ſacerdoti nec non reliquo populo haec diceret: 3. Quis

a) De praerogativis templi ſecundi prae primo.

Quis veſtrûm hanc aedem vidit in priſtina ſua gloria? jam vero qualem eam videtis? nonne vobis videtur eſſe nihil *ad illam?* 4. Attamen alacri animo ſis, o Serubabel, inquit Jova, et tu quoque, o Joſua Jozadaki fili, maxime pontifex, alacri animo ſis, nec non omnes de populo alacres eſtote, ſtrenue pergite in opere faciundo, ego enim vobis adſum, inquit Jova omnipotens, 5. ſecundum eas promiſſiones, quas vobis dedi, cum ex Aegypto eſſetis egreſſi; et ſpiritus meus inter vos verſatur, nolite timere. 6. Haec enim dicit Jova omnipotens: * Brevi futurum eſt, ut ego commoveam caelum et terram, mare et terram continentem, 7. ut ego omnes gentes commoveam, et deinde veniet gentibus omnibus expetendus, et glorioſe hanc aedem replebo, inquit Jova omnipotens. 8. Meum eſt argentum et aurum, dicit Jova omnipotens. 9. Major erit hujus poſterioris aedis gloria quam prioris, dicit Jova omnipotens, et pacem dabo in iſto loco, inquit Jova omnipotens — —.

b) SECTIO III. CAPVT II, 10-19

10. Viceſima quarta noni menſis, anno ſecundo Darii, Jova per Haggaeum prophetam ita locutus eſt: 11. Haec dicit Jova omnipotens: propone ſacerdotibus hanc de lege quaeſtionem: 12. Si quis carnem ſacram

b) Promiſſio de futura terrae fertilitate.

eram in veſtis ſuae lacinia ferat, et tangat iſta lacinia panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut ullius generis cibum, an conſecretur? non conſecratur, inquiunt ſacerdotes. 13. Et Haggaeus: Sed ſi quis tactu cadaveris pollutus quidvis iſtorum tetigerit, an polluetur? polluetur, inquiunt ſacerdotes. 14. Tum Haggaeus: Eadem eſt hujus populi, eadem hujus gentis ratio, inquit Jova, eadem eſt omnium operum eorum ex meo judicio ratio, ut, quidquid *c*) ibi offerant, immundum ſit. 15. Propterea recordamini temporum ſuperiorum, antequam templi mei fundamenta jacta eſſent: 16. Illo tempore ſi quis ad acervum viginti modiorum venit, decem tantum invenit, ſi quis e lacu torcularis quinquaginta amphoras haurire ſperabat, aderant tantum viginti. 17. Afflixi vos *d*) uredine et rubigine, et grandine proſtravi, quae diligenter a vobis culta erant, nec tamen fuit inter vos, qui ſe ad me converteret, inquit Jova. 18. Jam vero attendite, inde ab hoc tempore et deinceps a quarto et viceſimo noni menſis; inde ab eo die, inquam, quo aedis meae fundamenta jacta ſunt, attendite. 19. Semen adhuc in horreo latet; nec vitis, ficus, malogra-

c) Nempe in altari, quod ſtatim poſt reditum exſtructum eſt anno primi Cyri, Eſrae III, 3.

d) Uredo et rubigo ſunt duo vitia ſegetum, quorum prius ex nimio ardore provenit, poſterius ex nimio humore naſcitur. *Druſius.*

Digitized by Google

granatum, nec olea florent, inde vero ab hoc die efficiam ut omnia largos fructus ferant.

SECTIO IV. CAPVT II, 20-23

20. Deinde eo ipſo quarto et viceſimo die ejusdem menſis Jova ſecunda vice Haggaeum hunc in modum eſt allocutus: 21. Haec dicito Serubabeli Judaeorum principi: ego commovebo caelum et terram. 22. Evertam thronum regnorum, perdam potentiſſima regna, dejiciam currus eorumque vectores, cadent et equi et equites alii aliorum gladiis. 23. Illo vero tempore, inquit Jova omnipotens, te, mi Serubabel Schealtielis fili, *e*) his rebus ereptum tutum praeſtabo, nam te amo, inquit Jova omnipotens.

e) Verba textus ſunt: אֶקָּחֲךָ וְשַׂמְתִּיךָ כַּחוֹתָם *accipiam te et ponam te ut ſigillum.* Verbum לקח videtur h. l. de morte intelligendum, de qua alias quoque dicitur, v. c. Gen. V, 22. 2 Reg. II, 3. 5; non de evectione ad dignitates et honores, de qua *Druſius* explicavit; nec de pace et ſecuritate, quam terra Judaica in his bellis ſub Serubabele principe pio habitura eſſet, de qua *Grotius* utramque phraſin intellexit. Bella enim Alexandri M. cum Perſis aetatem Serubabelis longe excedunt. Phraſis vero, *ponam te ut ſigillum*, ex moribus Orientalium explicanda eſt, qui annulum ſignatorium a collo ſuſpenſum geſtare et diligenter cuſtodire ſolent. Vid. *Paulſen* in libro germanice ſcripto, cujus titulus eſt: *Die Regierung der Morgenländer, nach Anleitung morgenländiſcher Reiſebeſchreibungen*, pag. 306 ſeqq.

ZACHARIAS

SECTIO I. CAPVT I, 1 - 6

1. Menſe octavo anni ſecundi Darii Jova Zachariam, Berechjae filium, Iddonis nepotem, prophetam, hunc in modum eſt allocutus : 2. Graviſſime iratus fui majoribus veſtris — — 3. Dices vero illis meo nomine haec: Revertimini ad me, inquit Jova omnipotens; atque ego ad vos revertar, inquit Jova omnipotens. 4. Ne ſitis ſicuti majores veſtri, quos olim prophetae juſſu meo ſaepe hortati ſunt, ut pravam ſuam vitam moresque peſſimos emendarent, ſed non audierunt, neque mihi obtemperarunt, inquit Jova. 5. Majores iſti veſtri ubinam ſunt? a) — — et quanquam prophetae non amplius vivunt, 6. tamen dicta illa mea et decreta, quae prophetis meis miniſtris mandaveram inter majores veſtros, ſuum habuerunt implementum, ita ut, qui reſipiſcerent, fateri cogerentur, omnia, quae eis propter vitam et facta eorum minatus eſſem, eveniſſe — —

SECTIO

a) Eſt Litotes in his verbis, minus dicitur et plus intelligitur: Patres veſtri non amplius ſunt, ſed perierunt conſumti fame, bello et peſte, quemadmodum eis praedictum fuit a prophetis.

SECTIO II. CAPVT I, 7-17

7. Die quarto et viceſimo undecimi menſis, qui eſt menſis Schbat, anno ſecundo Darii, ego Zacharias Berechjae filius, Iddonis nepos, propheta, hanc divinam habui apparitionem. 8. Vidi ego noctu virum equo rubro inſidentem, atque inter *b*) myrtos, quae in valle erant, conſiſtentem, et poſt eum erant equi rubri, varii et albi. 9. Dixi: quinam ſunt iſti, domine? Reſpondit angelus, qui mecum loquebatur: ſtatim intelliges, qui ſint iſti. 10. Tum vir ille, qui inter myrtos ſtabat, dixit: hi ſunt, quos Jova miſit ad terram peragrandam. 11. Simul hi ipſi referebant angelo Jovae, qui inter myrtos ſtabat, ſe terram peragraſſe, eamque totam quietam inveniſſe et tranquillam. 12. Tum Jovae angelus, quousque, o Jova omnipotens, inquit, non miſereberis Hieroſolymae urbiumque Judaeae, quibus jam ſeptuaginta annos iraſceris? 13. Tum Jova angelo mecum loquenti reſpondit verbis mitibus et conſolatoriis. 14. Is vero me hunc in modum eſt allocutus: praedica, haec dicit Jova omnipotens, *c*) magno amore proſequor

b) De הֲדַס *myrto* vid. *Celſius* in Hierobot. P. II. pag. 17 ſeqq.

c) Hebr. קִנֵּאתִי *zelavi pro Hieroſolyma zelo magno.* Sub zelo hoc loco intelligitur amor Dei ſingularis erga populum ſuum, quo non impunitos ſinebat eos, qui illum injuria

ſequor Hieroſolymam et Sionem. 15. Gentibus vero iſtis quiete degentibus vehementer iraſcor, nam cum ego leviter iraſcerer (ſc. *Judaeis*), gravius eos afflixerunt, quam ferebat ira mea. 16. Propterea promitto, me Hieroſolymae iterum eſſe miſerturum, aedes mea ibi aedificabitur, inquit Jova omnipotens, et ipſa quoque urbs reſtaurabitur. 17. Praeterea haec proclama: haec dicit Jova omnipotens: Futurum eſt, ut urbes meae rerum omnium copia diffluant, conſolabor Sionem, et Hieroſolymam amabo.

SECTIO III. CAPVT II, 1-4

1. Aliquando ego ſublatis oculis vidi quatuor cornua. 2. Tum ex angelo, qui mecum loquebatur, quaerebam, quaenam iſta eſſent. Ille vero reſpondit: haec ſunt iſta cornua, quae Judaeos, Iſraëlitas et Hieroſolymitanos diſperſerunt. 3. Cum deinde Jova mihi quatuor fabros oſtendiſſet, 4. dixi: quid illi ſibi volunt? Iſta cornua, inquit, quae Judaeos ita diſperſerunt, ut nemo caput tollere auderet, hi concutient atque adeo dejicient iſta cornua gentium, quae ſe adverſus Judaeos ad eos diſſipandos extulerant.

SECTIO IV. CAPVT II, 5-17

5. Deinde ſublatis oculis vidi hominem, qui in manu

juria affecerant. Cf. Joel II, 18. Ipſe ſe explicat in ſequenti verſu.

manu funiculum menſorium habebat. 6. Quem cum interrogaſſem, quo abiret, reſpondit: menſuratum Hieroſolymam, ut videam, quantae ſit latitudinis et quantae longitudinis. 7. Cum deinde angelus, qui mecum loquebatur, abiret, alius angelus ei obvius 8. dixit: curre, loquere cum iſto juvene his verbis: ſine muris (ſicuti pagi) habitabitur Hieroſolyma prae multitudine hominum pecorumque. 9. Ego vero eam, inquit Jova, ut murus igneus circumdabo, magnamque ei gloriam conciliabo. 10. Heu! heu! fugite e terra ſeptentrionali, inquit Jova. * Nam per quatuor caeli regiones vos expandam, inquit Jova. 11. Heu Sionitae! evadite Babylone habitantes. 12. Haec enim dicit Jova omnipotens: Miſſus ſum ad gloriam pariendam de gentibus, quae vos ſpoliarunt. Nam qui vos offendit, is velut ejus pupillam oculi tangit. 13. En vero ego attollam manum meam contra eas, ita ut ſint praedae ſervis ſuis, et vos intelligatis, Jovam omnipotentem me miſiſſe. 14. Cantate et laetamini, o Sionitae, nam ego veniam et inter vos habitabo, inquit Jova. 15. Tum multae gentes mihi adhaerebunt, atque ego earum curam geram. Tum inter vos habitabo, et intelligetis, Jovam omnipotentem me ad vos miſiſſe. 16. Obtinebit Jova Judaeam peculium ſuum in terra ſancta, atque Hieroſolymam iterum amabit. 17. Revereantur Jovam omnes homines, prodeuntem ex ſancto ſuo habitaculo!

 SECTIO

SECTIO V. CAPVT III

1. Porro *Jova* mihi oſtendit Joſuam ſummum pontificem coram angelo Jovae ſtantem; Satan vero adſtabat dextrae ejus, ut eum accuſaret. 2. Dixit vero Jova Satani: coercebit te Jova, Satan, coercebit te Jova, nam amat Hieroſolymam: nonne ille ſimilis eſt *a*) torri ex igni erepto? 3. Joſua vero indutus erat veſtibus ſordidis, cum ſtaret coram angelo. 4. Tum hic miniſtros ſuos juſſit, veſtes ſordidas ei detrahere, ipſum vero ſic eſt allocutus: en ego aufero a te culpam tuam, teque veſtibus candidis induo. 5. Deinde juſſit infulam puram capiti ejus imponi. Quod utrumque cum factum eſſet, Jovae angelus, qui adhuc praeſens erat, 6. Joſuam his verbis admonuit: 7. Haec dicit Jova omnipotens, ſi in viis meis inceſſeris, legemque meam ſervaveris; *b*) ſi praeterea

a) h. e. e ſummis periculis ereptus et in iis ſervatus. Amos IV, 11.

b) Plerumque putatur, Apodoſin incipere in verbis וְגַם אַתָּה Sed mihi non ita videtur, quia verba תִּשְׁמוֹר et חֲצֵרָי non poſſunt diuturnam gubernationem templi, quae Joſuae promittatur, indicare, cum phraſis *cuſtodire aliquid facere* ſemper *diligentiam* et *aſſiduitatem* in re aliqua ſignificet. Igitur et haec duo membra ad Protaſin refero. Nec obſtat particula גַם quae non ſemper eſt illativa, ſed etiam ſaepe vim augendi habet, vertenda per *praeterea*.

terea domum meam rexeris et in atriis meis fueris aſſiduus; *c*) dabo tibi locum aliquando inter hos qui adſunt. 8. Audi quaeſo, o Joſua, ſumme pontifex, tu tuique collegae, *d*) quos omnes ut homines ſingulares admirantur. En ego adducam ſervum meum Zemach. 9. Videsne lapidem hunc? in quo uno lapide ſeptem oculi ſunt. En ego eum caelabo, inquit Jova omnipotens, et delebo hujus terrae peccata uno die. 10. Illo die, inquit Jova omnipotens, alter alterum ad vitem ficumque ſuam invitabit.

SECTIO VI. CAPVT IV

1. Alio deinde tempore angelus, qui mecum loquebatur, me excitavit, ſicuti ex ſomno aliquis excitatur.

c) In textu hebraeo eſt מַהְלְכִים quod antiqui interpretes ut participium vertunt. e. g. *οἱ ό, καὶ δώσω σοι ἀναστρεφομένους ἐν μέσῳ τῶν ἑστηκότων τούτων.* Syrus: *dabo tibi qui ambulent inter hos adſtantes.* Vulgatus: *dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic aſſiſtunt.* Sed obſcure et ſenſu fere nullo. Eſt ſine dubio nomen pluralis numeri, cujus ſingularis מַהְלֵךְ eſt ejusdem formae et ſignificationis cum מַהֲלָךְ quod vero non ſolum *iter* ſignificat, ſed et *locum* in quo ambulatur. Cf. Ezech. XLII, 4. — — Accipio vero ipſa verba ut promiſſionem vitae beatae in ſocietate angelorum.

d) In textu hebraeo legitur: כִּי אַנְשֵׁי מוֹפֵת הֵמָּה *nam viri portenti ſunt.* Cur ſocii Joſuae viri portenti vocen-

tetur. 2. Et quid vides? inquit. Video, inquam, candelabrum, totum aureum, cujus in capite eſt lecythus ſ. figura rotunda; praeterea habet ſeptem lucernas * totidemque infundibula, quae in lucernas de parte ejus ſuperiore (ſc. *candelabri nempe ex lecytho*) defluunt. 3. Tum duas video juxta illud (ſc. *candelabrum*) oleas, quarum altera eſt ad dextrum lecythi, altera ad ſiniſtrum. 4. Ego vero interrogabam angelum, qui mecum loquebatur: quid iſta ſignificant, domine? 5. Ille reſpondens mihi dixit: an neſcis, quid iſta ſignificent? neſcio, inquam, domine. 6. Tum ille: *a*) Jova Serubabeli dicit, non robore ſ. viribus humanis ſed ſpiritu meo *iſta perficientur*. 7. Tu

centur, cum *Druſio* fateor me ignorare. Utrum, quia digni erant, per quos ſigna et miracula ederentur? quae Chaldaei eſt interpretatio, a qua Graecorum non videtur diverſa: *ἄνδρες τερατοσκόποι*, *viri barioli*. An, quia eos ut oſtenta et prodigia omnes admirarentur? qualem ſe David eſſe dicit, cf. Pſ. LXXI, 7. et Jeſ. VIII, 18. Haec, quam *Druſius* habet, explicatio uſui vocis alias obvio convenit, illa vero ſequenti de Meſſia vaticinio.

a) Explicat ipſe angelus, quid ſub illo candelabro indicetur. Nempe templum a Serubabele exſtructum et per eum quoque abſolvendum. Sed in ipſa explicatione omiſſa eſt Protaſis, ita ſupplenda: Quemadmodum tu vides candelabrum hoc non humana ope aut arte factum, ſed divinitus tibi oſtenſum: ita etiam templum non hominum viribus aut potentia, ſed divina vi perficietur.

Tu enim mons *b*) ingens ante Serubabelem complanaberis, *c*) is opus cum laeta acclamatione auſpicabitur. 8. Deinde Jova me hunc in modum eſt allocutus: *d*) 9. Manus Serubabelis hanc aedem fundarunt, manus ejus etiam abſolvent, et intelliges Jovam omnipotentem me ad vos miſiſſe. 10. Qui enim parva hujus operis initia contemnunt, illi laetabuntur, quando videbunt lapidem et ſtannum in Serubabelis manu. *e*) Septem iſtae lucernae et infuſoria ſignificant oculos Jovae totam terram pervadentes. 11. Per-

b) Alloquitur hoſtes Judaeorum, templi aedificationem impedientes, Samaritanos eorumque ſocios.

c) Secundum verba hebraica eſt: is educet lapidem primarium inter acclamationes, gratia! gratia! illi, ſc. lapidi. Cf. Eſr. III, 8 ſeqq.

d) Propheta, quod dixerat clarius, idem repetit et denuo confirmat.

e) Male hoc loco Atnachus poſitus eſt poſt שִׁבְעָה אֵלֶּה, ponendus potius poſt זְרֻבָּבֶל Sed diſſentiunt interpretes, quo שבעה אלה ſit referendum. Alii referunt ad Cap. III, 9. hi ſunt ſeptem illi oculi totam terram pervadentes, h. e. indicant Dei providentiam totum mundum regentem et gubernantem. Alii referunt ad *ſeptem lucernas et infuſoria*, haec nempe ſignificare debebant *oculos Dei*, h. e. providentiam divinam totam terram pervadentem. Cf. 2 Paral. XVI, 9. ubi haec ipſa phraſis de providentia di-

Digitized by Google

Pergebam deinde ex eo quaerere : quid ſignificant duae iſtae oleae ad dextram et ſiniſtram ? 12. Quid, inquam iterum interrogans, duo iſti olearum rami, qui juxta duos canales aureos ſunt, atque oleum puriſſimum effundunt ? 13. Et ille mihi, an neſcis, inquit, quid illi ſignificent ? Neſcio, inquam, domine. 14. Hi ſunt, ille ait, *f*) duo illi viri oleo uncti, domino totius terrae miniſtrantes.

SECTIO VII. CAPVT V, 1-4

1. Rurſus ego, cum oculos ſuſtuliſſem, vidi * volumen evolutum. 2. Cum *angelus qui mecum loquebatur*, ex me quaereret, quid viderem, reſpondi: volumen evolutum, cujus longitudo aeque ac latitudo viginti cubitorum eſt. 3. Tum ille, in hoc volumine, inquit, *a*) poenae ſcriptae ſunt toti terrae infli-

gen-

divina adhibetur. Atque haec ſententia praeferenda videtur : nam angelus explicat prophetae praeſentem viſionem candelabri, diverſam prorſus ab illa Capite tertio deſcriptam.

f) Hebr. שְׁנֵי בְנֵי הַיִּצְהָר *duo filii olei* h. e. oleo uncti. Nempe Joſua ſummus pontifex, et Serubabel ex familia regia ortus et ſine dubio etiam ut *dux populi* unctus, quanquam diſertum de eo teſtimonium non exſtat.

a) In textu hebraeo eſt : זאת הָאָלָה הַיּוֹצֵאת עַל פְּנֵי כָל הָאָרֶץ *haec eſt maledictio exiens in omnem terram.*

In

Digitized by Google

gendae, omnis fur *b*) ſecundum eas * punietur, pariterque is qui *falſo per nomen meum* jurat, ſecundum eas punietur. 4. Expediam eas in * domum furis, inquit Jova omnipotens, et in domum nomine meo jurando abutentis, eamque funditus evertent.

SECTIO VIII. CAPVT V, 5-11

5. Egreſſus deinde angelus, qui mecum loquebatur, mihi dixit: attolle oculos et vide, quid ſit id quod exit. 6. Quid eſt? inquam. Epha eſt, inquit, quod * exit, idque indicat, quales ſint *incolae* totius hujus terrae. 7. Cum vero maſſa plumbea ſublata eſſet, * en mulier ſedebat in medio Ephae. 8. Tum dixit *angelus:* haec eſt impietas, et conjecit eam in mediam Epham, quam praeterea maſſa plumbea obſtruxit. 9. Cum deinde oculos attollerem, vidi duas mulieres egredientes, quarum alae (habebant enim alas ciconiae ſimiles) vento propellebantur. Illae igitur ſublatam Epham ferebant inter terram et cae-

In voce אֱלָה Antecedens pro Conſequente dictum eſt. Similis locus legitur Ezech. II, 10.

b) מְזֶה כָּמוֹהָ Propter generis diverſitatem utrumque ad אלה non videtur referri poſſe. Quid, ſi מְזֶה de loco explicetur, ſ. terra Iſraëlitica? Ita enim dicitur מזה Gen. XXXVII, 17. Deut. IX, 12.

caelum. 10. Tum angelo, qui mecum loquebatur, dixi: quo ferunt hanc Epham? 11. Reſpondit ille: ad exſtruendam ei domum in terra Sinear, et ad ſtabiliendam eam reponendamque ibi ſuper baſi ſua.

SECTIO IX. CAPVT VI, 1-8

1. Rurſus ego ſublatis oculis vidi quatuor currus exeuntes inter duos montes, qui montes erant aenei.
2. Primo curru juncti erant equi rubri, ſecundo nigri, 3. tertio albi, quarto maculoſi, iique validi. 4.
Tum ego ex angelo, qui mecum loquebatur, quaerebam: quales ſunt domine iſti *currus?* 5. Reſpondit angelus: ſunt quatuor caeli ſpiritus, exeuntes a Domino totius terrae, poſtquam mandata ejus acceperunt.
6. Ille currus cum equis nigris exit verſus terram ſeptentrionalem, quem alter cum equis albis ſequitur, maculoſi vero verſus auſtrum egrediuntur. 7. * Rubri vero egreſſi conabantur terram pervadere; quod cum facere juſſi eſſent, terram pervadebant. 8. Tum *angelus* mihi acclamans dixit: vide, *a*) illi, qui verſus terram ſeptentrionalem egreſſi ſunt, iram meam in iſtam terram ſuſceptam ſedarunt.

SECTIO

a) Sub equis nigris Perſas intelligendos eſſe, admodum probabile eſt. Hi igitur in Chaldaeam, quae Judaeis aquilonaris erat, abierant, atque judicia divina in Chaldaeos propter duritiem, qua populum Dei tractaverant, coll. Cap. I, 15. executi ſunt.

SECTIO X. CAPVT VI, 9-15

9. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 10. Aſſume quosdam de exulibus, qui Babylone venerunt, nempe Cheldaeum, Tobiam, Jedajam, atque abi, et quidem hodie, domum Joſiae Zephanjae filii. 11. Simul ſume aurum et argentum, et fac coronas *duas*, easque Joſiae Jezadaki filio ſummo ſacerdoti impone, 12. his uſus verbis: haec dicit Jova omnipotens: En! vir erit nomine Zemach. Nam *b*) omnia effloreſcent, is

b) Plerique interpretes verba hebraea: וּמִתַּחְתָּיו יִצְמָח de loco nativitatis Meſſiae, Bethlehemo, explicant et inſignes emphaſes e vocabulo מתחת extorquent. Sed non eſſe in eo argutandum, rectiſſime monuit S. R. *Erneſti* in Nova Biblioth. Theol. Tom. IX. pag. 692 ſeqq. et planiſſime demonſtravit, illud מִתַּחַת, ut oppoſitum ejus מִמַּעַל, cum ejusmodi verbis, quale צמח, conſtructum, pleonaſtice poni, ut Eſ. XLV, 8. הַרְעִיפוּ שָׁמַיִם מִמַּעַל (cf. ſimillima conſtructio, quae infra occurrit Cap. XIV, 10. יָשְׁבָה תַחְתֶּיהָ *habitabitur* ſc. Hieroſolyma; ubi תחת cum affixo ſuo manifeſte πλεονάζει: item Amos II, 9. 13. Joſ. II, 11. V, 8.) Porro Vir Summus inprimis appoſite ad hunc locum et ſimilia explicanda obſervat: nomina ſymbolica non perſonam ipſam, ſed rem illo nomine ſignificandam reſpicere — — Igitur in noſtro loco צמח non de perſona, de qua ſermo eſt, ſed de re ſive de ipſis promiſſionibus eſt explicandum. Adhibetur vero hoc verbum

is templum Jovae aedificabit. 13. Aedificabit ille templum Jovae, atque ex regni ſui adminiſtratione ſummam gloriam conſequetur. Idem vero etiam ſacerdos erit, et utriusque muneris finis *hominum* erit felicitas. 14. Coronae vero iſtae Chelemo, Tobiae, Jedajae et Cheno Zephanjae filio monumenta ſint in templo Jovae. 15. Longinqui etiam venient, templumque Jovae conſtruent, et vos intelligetis, Jovam omnipotentem me ad vos miſiſſe. Haec vero evenient, ſi Jovae Dei veſtri voluntati obtemperaveritis.

SECTIO XI. CAPVT VII et VIII

1. Anno quarto Darii regis, quarto die noni menſis Cislevi, Jova Zachariam hunc in modum eſt allocutus, 2. cum miſſi eſſent ad domum Dei Scharezer et Regemmelech aliique eorum comites, ad preces faciendas in templo Jovae, 3. atque ad interrogandos ſacer-

bum ad inſignem rerum emendationem aut beneficiorum eximiorum exhibitionem indicandam, temporibus inprimis Novi Teſtamenti promiſſam. v. c. Jeſ. XLIII, 19. — — In ultimis verbis verſus 13, *conſilium pacis erit inter hos duos*, *Pacem* ego non de *concordia*, quae inter Meſſiam et Jovam futura ſit, intelligo, ſed de felicitate humano generi a Meſſia rege eodemque ſacerdote expectanda. Quoniam enim Deus in toto hoc loco loquitur, affixum tertiae perſonae in שְׁנֵיהֶם non poteſt ad Jovam referri.

ſacerdotes templi Jovae omnipotentis et prophetas, *a*) num neceſſarium ſit amplius adhuc obſervare ſuppli-

ca-

a) Ut occaſio propoſitae quaeſtionis, nec non ratio et nexus reſponſionis a propheta datae eo melius perſpiciatur, adſcribam *Grotii* annotationem, paullo longiorem quidem, ſed ad ſenſum totius pericopae inprimis utilem: Dies jejunii anniverſarios non Deus tantum inſtituerat, ſed addiderat aliquos populus in rerum triſtium memoriam. In jejunii autem diebus omnia luctus ſigna oſtendebantur, demiſſo capite, nudis pedibus, veſtitu viliſſimo, adſperſo et cinere, et quae alia ſunt hujus generis, Eſ. LVIII, 5. Abſtinebatur vero a cibis delicatioribus et vino et uſu conjugum. Tales autem dies quatuor inſtituerant Judaei exules. *Menſe quarto* in memoriam perrupti muri Jer. LII, 6. *Menſe quinto* in memoriam combuſti templi Jer. LII, 12. *Menſe ſeptimo* in memoriam interfecti Gedaljae Jer. XLI, 2. *Menſe decimo* in memoriam coeptae obſidionis 2 Reg. XXV, 1. Hos dies obſervaverant non tantum in exilio, ſed etiam in Judaea intra Cyri tempora et Darii Hyſtaſpis filii. Nunc reſtituto templo quaeſtionem inſtituunt Judaei illi in agris habitantes, non abſurdam, de illo praecipue die, qui luctuoſus fuerat ob templum incenſum. Dignus vindice nodus. Poterat enim haec quaeſtio probabiliter in utramque partem tractari. Ceſſat cauſa, ceſſet et effectus. Contra dici poterat, malorum toleratorum utilem eſſe memoriam. Propheta miro temperamento rem definit: retinendos dies, verum ad gratias Deo agendas, eoque cum gaudio, non cum luctu, infra VIII, 19. Sed antequam eam ſententiam promat, utiliſſima praefatur, de recto jejunii uſu, de

cauſis

cationes publicas quinti menſis, quemadmodum inde a multis annis factum ſit. 4. Jova igitur omnipotens, Zachariae haec dixit: 5. Ita reſpondere debes univerſo populo et ſacerdotibus: Si jejunaſtis et planxiſtis quinto et ſeptimo menſe per hos ſeptuaginta annos, *b*) num mihi jejunaſtis? 6. Aut ſi editis et bibitis, nonne vobis et editis et bibitis? 7. Nonne vobis hoc ſaepe dixi per prophetas antiquos illos, cum Hieroſolyma adhuc ſtaret et felix eſſet, cum finitima ejus oppida, tractus meridionalis et planities

cauſis malorum, et quomodo in rebus proſperis ſe gerere debeant. Hactenus *Grotius*.

b) Ne tirones fortaſſe haereant ad pronomen primae perſonae אני repetitum poſt affixum primae perſonae צַמְתֻנִי, juvat hoc loco annotare idiotiſmum. Nimirum ſolent Hebraei in ſermone concitatiori repetere pronomen ejusdem perſonae quae praecedit: cf. 1 Sam. XXV, 24. Pſ. IX, 7. Interdum pronomen praeponi ſolet, ut Gen. XLIX, 8. 2 Paral. XXVIII, 10. et infra in noſtro propheta Cap. IX, 11. et Haggaei I, 4. Exempla ex lingua Arabica multa adduxit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. — — Igitur non opus eſt criſi *Hubigantii*, qui legi vult: צמכם אני quod dicit eſſe *Hiphil cum ſuo caſu;* vertit etiam *jejunare faciens vos ego.* Quomodo vero hoc ad regulas grammaticas formatum ſit, fateor me non intelligere. Nam צמכם non eſſe participium Conjugationis Hiphil vel pueri norunt, qui prima linguae elementa didicerunt. Aeque ineptam

ties habitarentur? — — 8. *c*) Porro Jova Zachariam haec dicere juſſit: 9. Jova omnipotens hortatus eſt *d*) *majores veſtros*, ut jus recte et ex aequo dicerent, ut humanitatem et miſericordiam ſibi invicem exhiberent; 10. ne viduas, pupillos, peregrinos et pauperes opprimerent, nec malum alius in alium animis excogitarent. 11. Sed renuerunt audire, humeros detrectantes praebuerunt, et aures obſtruxerunt, ne audirent. 12. Corda eorum adamante duriora fuerunt, ita ut nullo modo legi obtemperarent, aut eis, quae per ſpiritum meum, per prophetas illos antiquos dici juſſiſſem. Propterea ira mea vehementer in eos exarſit, *e*) *ut dicerem:* 13. Futurum eſt, ut, quemadmodum ego vos vocavi et me non audierunt, ita illi viciſſim clament, nec audiam. 14. Diſpergam eos in omnes gentes ſibi igno-

eptam criſin affert etiam ad verſum ſequentem, in cujus vero refutatione chartam perdere nolo.

c) Sermo de eadem re continuatur, et propheta ſine dubio ſequentia eodem tempore dixit. Sed novam quaſi praefationem praemittit, quia populo reduci peccata majorum ſuorum in animum revocare incipit, et monere, ut ſibi ab illis diligenter caveat.

d) Hoc ſupplendum eſſe, plane apparet ex verſu 11.

e) Ellipſin verbi לֵאמֹר indicat ſequens comminatio de futuro exilio. Obſervetur *διλογία* in verbo קרא et locus parallelus Michae III, 4.

tas, et terra poſt eorum deportationem ita deſerta erit, ut nemo per eam iter facturus ſit. In tantam amoeniſſima illa terra vaſtitatem redigetur!

ÇAPVT VIII, 1. Porro Jova omnipotens juſſit, ut ejus nomine haec dicerem: 2. Vehementer iraſcor Sionis cauſa, magnamque pro ea iram concepi. 3. Nam Sioni reconciliatus, inquit Jova, Hieroſolymae habitabo, et vocabitur Hieroſolyma urbs veritatis; mons vero Jovae omnipotentis, mons ſanctitatis. 4. Haec dicit Jova omnipotens: ſenes et anus aliquando in Hieroſolymae plateis ſedebunt, hominesque baculis innixi prae ſenectute, 5. urbisque vici pleni erunt pueris et puellis vicatim ludentibus. 6. Quamvis vero hoc, inquit Jova omnipotens, difficile videatur ex hoc populo ſuperſtitibus hoc quidem tempore, num mihi propterea erit difficile? dicit Jova omnipotens. 7. En ego, inquit Jova omnipotens, ſervabo populum meum, eumque ex Oriente et Occidente 8. ducam habitatum Hieroſolymae. Erit populus mihi carus, et ego ero ei Deus verax in praeſtandis promiſſis et benignus. 9. Haec dicit Jova omnipotens: alacres eſtote, qui his diebus audiviſtis prophetas, cum templi mei fundamenta jacta eſſent, vos ad ejus exſtructionem adhortantes. 10. Antea omnis pro labore merces ſine fructu dilabebatur, omne ex locatione jumentorum lucrum peribat, privata negotia hoſtes interrumpebant, atque alter al-

teri,

teri, me ita permittente, nocere ſtudebat. 11. Jam vero non qualis olim, talis nunc quoque ero his de populo iſto ſuperſtitibus, inquit Jova omnipotens. 12. Seretur in pace, vitis fructum feret, terra dabit proventum ſuum, caeli rorem demittent, et curabo, ut, qui ex hoc populo ſuperſtites ſint, his omnibus etiam fruantur. 13. Tunc, quemadmodum antea, o Judaei et Iſraëlitae, gentibus execrabiles fuiſtis, ſic jam a me ſervatos vos feliciſſimos praedicabunt. Nolite timere, alacres eſtote! 14. Haec enim dicit Jova omnipotens, quemadmodum vos acerbe affligere decreveram, cum majores veſtri iram meam provocaſſent: 15. ſic hoc quidem tempore decrevi benefacere Hieroſolymae, vobisque Judaeis, nolite timere; 16. Sed ſub hac conditione, ut vos invicem veritati ſtudeatis, jus ex aequo dicatis; 17. Nullus in alterum prava conſilia machinetur, nec perjuria committat; haec enim omnia odi, inquit Jova. 18. Porro Jova mihi mandavit, ut ejus nomine populo dicerem: 19. *a*) Jejunia quarti, quinti, ſeptimi et decimi menſis a Judaeis ut dies feſti laeti et hilares peragantur, modo veritatis et concordiae ſtudioſi ſint. 20. Haec dicit Jova omnipotens: Aliquando gentes multarumque urbium incolae venient, 21. ſibique mutuo dicent: agite eamus ad preces coram

 Jova

a) Hoc quidem loco propheta reſpondet ad quaeſtionem propoſitam Cap. VII, 3.

Jova faciendas, ad adorandum Jovam omnipotentem, ibo ego quoque. 22. Venient, inquam, gentes multae nationesque potentes ad me Hieroſolymae colendum, ad preces coram me fundendas. 23. Eo tempore, inquit Jova omnipotens, decem variarum nationum homines, pallium Judaei prehendent, et rogabunt, ut ſibi liceat eum ſequi, quia Deum eis adeſſe noverint.

SECTIO XII. CAPVT IX, 1-8

1. Durum Jovae vaticinium, in terra Hadrach et Damaſco implendum. Jova enim cum omnes homines, tum Iſraëliticas tribus providentia ſua gubernat. 2. Nec non *a*) in Chamate ei ſc. *Damaſco* contermina, in Tyro et Sidone, quamvis valde celebrata eſt eorum ſapientia. 3. Tyrus quidem magnas ſibi facit munitiones, tantumque argenti et auri congeſſit, quantum eſt pulveris et luti in vicis: 4. Sed Dominus eam ſpoliabit iſtis, propugnacula ejus in mari exſtructa evertet, ipſa igne conſumetur. 5. Quod cum Aſcalon viderit, timebit; Gaza vehementer dolebit, nec non Ekron, cum ſpes ejus perierit. Periit rex Gazae, et Aſcalon non habitabitur. 6. Peregrini Aſdode habitabunt, ſupprimam enim Philiſtaeorum ſuperbiam.

a) Repete ex antecedente verſu: מַשָּׂא דְבַר יְהוָה מְנֻחָתוֹ *ſententia Dei implenda.*

biam. 7. Auferam tamen ſanguinem ex ore eorum, atque abominanda ex eorum dentibus, eruntque in his, qui Deo noſtro nomen dant, qui propterea eodem, quo Judaei, honore fruentur; Ekronitae ut Jebuſaei *inter Judaeos degent.* 8. Caſtra ponam circa domum meam propter hoſtium incurſiones; non pervadet eam amplius exactor. Omnia enim bene perſpecta et cognita habeo.

b) SECTIO XIII. CAPVT IX, 9-XI, 12

9. Vehementer laetare, o Sion, exclama Hieroſolyma, nam rex tuus ad te venit, juſtus et ſervator, manſuetus, vectus aſino, ſuper pullo aſinae. 10. Exſcindam currus ex Ephraimo et equos ex Hieroſolyma, frangetur arcus bellicus, nam pacem gentibus *ille rex* annunciabit, a mari ad mare dominabitur, a flumine *Euphrate* usque ad fines terrae. 11. *c*) Tuos quoque vinctos dimitto, *d*) e fovea

b) Promiſſio Meſſiae adventantis et felicitatis reipublicae Judaicae circa illa tempora; inprimis tempore Maccabaeorum eorumque victoriae.

c) Convertere videtur propheta ſermonem ad Judaeos a Syris oppreſſos. Nam τῷ אֶת in hoc verſu reſpondet יְהוּדָה in verſu 13. In verbis גַּם אַתְּ שִׁלַּחְתִּי אֲסִירַיִךְ eadem eſt conſtructio, de qua dictum eſt ad Cap. VII, 5.

d) Eſt periphraſis *carceris*, cujus uſum praeſtabant foveae illae ſubterraneae.

aqua carente propter *e*) ſanguinem foederis tui. 12.
Revertimini ad munitionem ſub ſpe *liberationis* vincti,
hodie enim promitto duplum me vobis redditurum eſſe.
13. Utar enim *f*) Judaea et Ephraimo ut arcu — —
excitabo tuos filios o Sion, contra tuos filios o Graecia! te ſimilem reddam gladio fortiſſimi militis. 14.
Jova iis aderit, exibit ut fulgur ſagitta ejus, Dominus Jova tuba clanget atque turbinis more diſperget
hoſtes. 15. Jova omnipotens proteget eos ſc. *Judaeos*, conficient et ſubigent *g*) iſtos viliſſimos, bibent et perſtrepent ut vino ebrii, conſperſi erunt
ſanguine hoſtili ut pelvis, ut anguli altaris. 16. Jova
enim Deus eorum eos eo tempore ſervabit, ut gregem,
populum ſuum; in ſummo pretio erunt, ut lapides
coronae; ex ipſa terra ſua nati. — — 17. Quanta
vero

e) Reſpicit ſine dubio agnum paſchalem, in qua victima Deus populo promiſſionem dederat de eo ſervando, Exod. XXIV, 8.

f) Accentus h. l. male poſiti ſunt in textu hebraeo. Diſtinctio debet eſſe non poſt *Judam* ſed poſt *arcum*. Caeterum phraſes ſunt ſynonymicae, et altera quidem elliptica: implevi *manum meam*, cf. 2 Reg. IX, 24. et *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l.

g) אַבְנֵי קֶלַע *lapides fundae*. Dictum puto eſſe tropice ad ſignificandum homines viles et nullius pretii, quales ſolent eſſe lapides, qui funda projiciuntur, ubivis obvii. Oppoſitum eſt in verſu 16, ubi Judaei *lapides diadematis* h. e. cariſſimi et pretioſiſſimi vocantur.

vero tunc ejus *terrae* bonitas erit, et quanta pulcritudo! Juventes ob meſſem laeta carmina canent, et puellae ob felicem vindemiam. CAPVT X, 1. *a*) Petite a Jova pluviam ſuo tempore vernam, Jova facit fulgura, dabit vobis pluviam copioſam, omnibus agrorum fruges. 2. Vana enim ſunt, quae idola loquuntur, et divinatores falſa divinant, ſomnia quoque mentiuntur, vanae ſunt eorum conſolationes, propterea etiam abducti ſunt ut grex, et * male habiti ſunt, cum paſtorem non haberent. 3. Iram meam convertam in iſtos paſtores, puniam ego iſtos *b*) hircos, curam enim geram ego Jova omnipotens gregis mei, nempe Judaeorum, et ſimiles eos faciam equo generoſo ad bellum incitato. 4. Ab illis *c*) duces, ab illis praefecti, ab illis milites, ab illis rectores ſumentur. 5. Fortiſſimis heroibus ſimiles erunt, conculcabunt *hoſtes ſuos* in praeliis ut lutum platearum;

K 5

a) Continuantur, uti videtur, eaedem illae de Maccabaeorum temporibus promiſſiones.

b) Reges et principes non ſolum cum *paſtoribus*, ſed etiam cum *hircis* comparantur. Neque haec comparatio Orientalibus, ut nobis fortaſſe, indecens videtur. Cf. nota ad Hoſ. XIII, 13.

c) Tropica vocabula, *angulus*, *clavus*, *arcus bellicus* cum propriis putavi permutanda, quia illa ab uſu loquendi latino nimis aliena ſunt. נֹגֵשׂ alias in malam partem dicitur, hoc loco vero in bonam, ut et Eſ. III, 12. LX, 17.

Digitized by Google

rum; pugnabunt, ego enim eos juvabo, equitesque *hoſtium* turpiter in fugam convertentur. 6. Confortabo Judaeos, et Joſephitas ſervabo, eorum miſertus eos in ſedibus ſuis priſtinis collocabo, tales erunt, ac ſi nunquam eos reprobaſſem. Ego enim Jova Deus eorum ſum, eosque exaudiam. 7. Sane Ephraimitae ut heroes ſe gerent, tanquam vino hilares laetabuntur, nati eorum et ipſi gaudebunt et exultabunt mea cauſa. 8. Eos a me redemtos *d*) ſigno dato colligam, augebuntur eum in numerum quo *e*) olim fuere. 9. Quanquam enim inter gentes eos diſperſeram, tamen et in remotiſſimis regionibus mei memores fuerunt, ideo felices jam erunt cum filiis ſuis, et revertentur. 10. Immo reducam eos ex Aegypto, ex Aſſyria eos colligam, in Gileaditidem et Libani regiones eos ducam, tanto numero ut locus eos non capiat. 11. *f*) Nam tra-

d) אֶשְׁרְקָה לָהֶם *ſibilabo eis*, h. e. ſibilo advocabo eos. *Grotius* annotat ſumtum eſſe verbum e re paſtoritia, et *ſibilabo* idem eſſe, quod *fiſtula paſtorali canam*. Graecorum συρίζειν utrumque ſignificare. Idem exiſtimat, prophetam loqui de iis, qui nondum redierant, ſed poſtea rediere, in primis ſub Ptolemaeo Philadelpho, qui multis Judaeorum millibus libertatem conceſſit redeundi in patriam.

e) Davidis et Salomonis temporibus.

f) Metaphorae in priori hujus verſus parte ſumtae ſunt ab eductione populi ex Aegypto per mare rubrum atque exſiccatione fluminis Jordani. Cum hac comparatur liberatio a jugo

trajecto afflictionum mari fluctus ejus maris compeſcentur, omnesque fluminis alvei exareſcent: comprimetur Aſſyriae ſuperbia, regnumque Aegypti abolebitur. 12. Ipſe ego illis robur et fortitudinem dabo, et ſub praeſidio meo res ſuas peragent, inquit Jova.

a) SECTIO XIV. CAPVT XI

1. Aperi Libane fores tuas, ut ignis cedros tuas conſumat. 2. Ejula abies, nam cecidit cedrus: potentes vaſtati ſunt. Ejulate quercus Baſanis, nam ſucciſa eſt ſilva munita. 3. Auditur ejulatus paſtorum, *b*) nam deſtructa ſunt paſcua eorum amoeniſſima; auditur leonum rugitus, nam vaſtata ſunt *c*) Jordani pa-

jugo Syrorum et Aegyptiorum, de qua propheta in poſteriori verſus parte verbis propriis loquitur.

a) In hoc Capite propheta loquitur de ſtatu triſti et calamitoſo populi Judaici, ſed ſtilo adeo ſublimi et abrupto, ut difficile ſit determinare, quaenam tempora reſpiciat. Interpretum ſententiae diviſae ſunt in duas potiſſimum partes. Alii tempora Antiochi Epiphanis putant indicari, alii ultimam deſtructionem per Romanos. Mihi quidem praeferenda videtur poſterior explicatio, quoniam in verſu 12. de rejectione Meſſiae ſermo eſt.

b) Hebr. *nam vaſtata eſt gloria ſ. decus eorum*, quod pro ſubjecto vix de alia re quam de paſcuis amoenis vel deſerti Judaeae vel montis Libani poteſt intelligi.

c) Sic recte, uti arbitror, *Faber* ad Harmarum P. II. pag. 238.

paluſtria. 4. Ita dixit Jova Deus meus: paſce pecora occiſioni tradenda, 5. quorum domini ea impune occidunt, et qui ea vendunt, ſibi de lucro iſto gratulantur, et qui ea paſcere debebanr, illis non parcunt. 6. Neque ego amplius parcam incolis hujus terrae, inquit Jova, permittam ut mutuis inter ſe caedibus ſaeviant, tradam eos regi ſuo. Sic terra vaſtabitur, neque ego eos ab his injuriis defendam. 7. Paſcere igitur inſtitui gregem occiſioni traditum, gregem *d*) vere miſerum, atque adhibui duos baculos, quorum unum vocabam *e*) Noam, alterum Chobelim. Cumque

238. explicavit dictionem rariorem, quae praeter h. l. extat Jer. XII, 5. XLIX, 19. L, 44. גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן *ſuperbia ſ. elatio Jordani* partim obſcure partim falſo de inundatione Jordani vulgo explicatur. Sed גאון poteſt quoque derivari ab Arab. גיא *confluere* et *alveum ſ. littus* fluminis notare; quod ad Jordanum paluſtre eſt et ſilvoſum, a leonibus aliisque feris animalibus frequentatum.

d) Miror interpretes nonnullos laborare in explicando vocabulo לָכֵן Eſt, uti alias v. c. Gen. IV, 15. Jer. II, 32. V, 2. XVI, 14. Hoſ. II, 16. Amos V, 16. particula affirmandi, ex origine vero ſua ſubſtantivum cum praefixo לְ, quod et ſine eo, ut multa alia hujus generis, adverbialiter dicitur, ut infra verſu 11.

e) In verſione retinenda putavi vocabula hebraica, quae hoc quidem in loco ſunt nomina propria baculis iſtis a propheta

Digitized by Google

que ita gregem paſcerem, 8. exſcidi tres paſtores uno menſe. Sed averſabar eos, cum et ipſi me faſtidirent. 9. Propterea dicebam, nolo vos amplius paſcere, moritura moriantur, perdenda perdantur, et reliqua ſeſe mutuo conficiant. 10. Sumtum deinde baculum, Noam vocatum, fregi, ad indicandum, fractum jam eſſe foedus, quod cum toto hoc populo pepigeram. 11. Igitur irritum factum eſt eo die *foedus illud*, et qui me de grege illo vere afflicto colunt, intelligent, Jovam hoc locutum eſſe. — — 12. Deinde dixi illis, date mihi, ſi placet, mercedem meam, ſin minus, omittite. Igitur appenderunt mihi mercedem meam, triginta nummos argenteos. 13. Tum Jova mihi dixit: abjice eos apud figulum, egregium illud ſcilicet pretium, quo ab illis aeſtimatus ſum! Sumſi igitur triginta illos nummos argenteos, eosque in templum Dei apud figulum abjeci. 14. Deinde confregi alterum baculum, quem Chobelim nominaveram, ad indicandum, omnem inter Judaeos et Iſraëlitas conſociationem ſublatam eſſe — — 15. Porro Jova

pheta impoſita. In altero quidem, nempe *Chobelim* vertendo diſſentiunt interpretes, (nam prius, *Noam*, amoenitatem eſſe, de eo dubium non eſt,) pro diverſa verbi חבל ſignificatione. *Ludov.* quidem *de Dieu* vertendum putat *ſociatos* ſ. *foedere junctos* ex ſignificatione Arabica verbi חָבֵל *foedus*, ex qua etiam aliae hebraicae illuſtrari poſſunt; quod explicationi ſymboli in verſu 14. bene convenit.

Jova mihi dixit: Sume tibi inſtrumenta mali paſtoris. 16. Etenim ego praeficiam huic terrae paſtorem, qui pecoris aegrotantis curam non habebit, qui, quod huc illuc oberrat, non quaeret, qui, cui membrum fractum aut luxatum eſt, non ſanabit, neque ſuſtentabit laſſum; contra vero carne pinguium veſcetur, totis illis in partes diſſectis. 17. Sed vae paſtori iſti peſſimo gregem negligenti: brachium ejus oculusque dexter *f*) exareſcat, torrefiat brachium ejus, oculusque dexter prorſus caliget.

SECTIO XV. CAPVT XII-XIII, 1-6.

1. Sententia a Jova Iſraëli dicenda: Haec dicit Jova, qui caelum extendit, terram fundavit, hominique ſpiritum indidit. 2. En ego efficiam ut Hieroſolyma ſit inſtar calicis, qui omnes gentes vicinas temulentas reddat, atque etiam * Juda propugnaculi loco erit Hieroſolymae. 3. Eodem illo tempore ſimilem reddam Hieroſolymam *a*) lapidi ponderoſo omnibus

f) In textu hebraeo legitur חָרֵב quod ex vulgari ejus ſignificatione vulgo vertitur *gladius*. Sed putem melius explicari per *ſiccitatem*. Sequitur enim, *brachium ejus exareſcet*, neque comminatio gladii *oculo dextro* ſatis apta videtur. חָרֵב vero *ſiccitatem* quoque ſignificare patet ex Deut. XXVIII, 22. Atque omnino poſterius membrum prius explicat.

a) *Hieronymus* hunc locum bene ex ritu in Palaeſtina recepto

bus gentibus, quem ſi molitae fuerint, concutientur; nam coibunt contra eam omnes terrarum orbis nationes. 4. Tum vero ego, inquit Jova, afficiam omnes equos ſtupore, eorumque equites amentia. Pro Judaeis autem vigilabo, omnesque gentium equos coecitate percutiam. 5. Tunc Judaeorum principes agnoſcent, * Hieroſolymae incolas tam fortes eſſe per Jovam omnipotentem Deum eorum. 6. Illo tempore efficiam, ut duces Judae ſint inſtar foci ardentis, aut inſtar facis manipulos incendentis, abſument ad dextram et ſiniſtram omnes gentes finitimas. Hieroſolyma vero immota ſuo loco manebit. 7. Servabit etiam Jova ſedes Judaeorum * uti olim, ita ut ſe non poſſit efferre ſplendida Davidis familia, aut illuſtres Hieroſolymae incolae adverſus incolas Judae. 8. Eo tempore proteget Jova Hieroſolymae incolas, ita ut qui ex iis infirmus ſit, tamen Davidi ſimilis, familia autem Davidis Deo, angelo Jovae, qui eos praeceſſit, ſimilis ſit. 9. Eodem illo tempore perdam omnes gen-

pto explicat: Mos eſt, inquit, in urbibus Palaeſtinae, et usque hodie per omnem Judaeam vetus conſuetudo ſervatur, ut in viculis, oppidis et caſtellis rotundi ponantur lapides graviſſimi ponderis, ad quos juvenes exercere ſe ſoleant et eos pro varietate virium ſublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli ſuper verticem erectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonſtrantes, pondus extollant. Haec *Hieronymus*.

gentes Hieroſolymam aggredientes. 10. Familiae autem Davidicae civibusque Hieroſolymitanis animum dabo gratiam meam ſubmiſſis precibus implorantem; * intuebuntur me, quem transfixerunt, atque ea de re lugebunt, quemadmodum de filio unico lugetur; plangent ea de re amariſſime, quemadmodum de filio primogenito. 11. Planctus tunc erit Hieroſolymae tantus, quantus olim *b*) Hadadrimmone in valle Megiddo fuit. 12. Planget univerſa terra ſingulaeque familiae ſeorſim, *c*) familia Davidis ſeorſim, ejusque uxores ſeorſim, familia Nathanis ſeorſim ejusque uxores ſeorſim, 13. familia Levi ſeorſim ejusque uxores ſeorſim, familia Simeonis ſeorſim ejusque uxores ſeorſim.

b) Luctus ille fuit ob mortem pii regis Joſiae. Hiſtoria legitur 2 Par. XXXV, 22 ſeqq.

c) Scopum prophetae in enarrandis ſingulis quibusdam familiis mortem Meſſiae lugentibus admodum probabiliter et tantum non certo inveſtigavit S. R. *Mauritii*, S. Theol. Doctor in Acad. Buzovienſi, in peculiari libello ſuper hoc loco ſcripto; cujus excerpta legi poſſunt in S. R. *Erneſti* Biblioth. Theol. Nova, Tom. V. pag. 764 ſeqq. Zacharias nempe paullo clarius, quam hactenus ab ullo propheta factum erat, determinavit, ex quibus familiae Davidicae poſteris Meſſias originem habiturus ſit. Nam ex Genealogia Jeſu Luc. III, 26. 29. 31. conſtat, has a propheta nominatas familias fuiſſe in Meſſiae majoribus. Ab horum poſteris luctum aliquando acerbiſſimum edendum eſſe, propheta vaticinatur.

ſim. 14. Omnes omnino familiae ſuperſtites, ſingulae ſeorſim earumque uxores ſeorſim. CAPVT XIII,
1. Eodem tempore familiae Davidis civibusque Hieroſolymitanis fons ſcaturiet, peccatis atque impuritatibus *abluendis*. 2. Tunc quoque, inquit Jova omnipotens, auferam omnia idola e terrarum orbe, ita ut nemo amplius eorum meminerit. Prophetas etiam *falſos* ſpiritusque impuros e terra ejiciam. 3. Quodſi quis ſe prophetam jactet, eum ipſi ejus parentes ſupplicio dignum judicabunt, quoniam in nomine Jovae mendacium proferre auſus ſit, eumque confoſſum occident parentes ejus, pater et mater, propter iſtam vaticiniorum jactationem. 4. Tunc pudore ſuffundentur iſti prophetae propter viſiones, quas in vaticiniis ſuis jactitarunt, nec amplius alios villoſo pallio fallere ſtudebunt. 5. Negabit *eorum quisque* ſe prophetam eſſe — dicet ſe eſſe agricolam, atque agrum colendo ſe ſibi victum comparare coactum fuiſſe inde a juventute ſua. 6. Quodſi dicetur ei: unde vero iſta tibi vulnera inter manus tuas? ita, inquiet, in domo amicorum meorum caſtigatus ſum.

d) SECTIO XVI. CAPVT XIII, 7-9

7. Excitare o enſis! in paſtorem meum et in virum mihi

d) Nova ſectio videtur in hoc loco incipienda, quoniam hujus cum antecedenti non commoda oſtendi poteſt connexio.

mihi carum, inquit Jova omnipotens; percute paſtorem, tunc grex quidem diſſipabitur, ſed curam ego geram iſtorum parvulorum. 8. In tota terra, inquit Jova, duae ejus partes exciſae exſpirabunt, tertia tantum relicta. 9. Hanc tertiam ego in ignem immittam atque exploratam probabo, ſicuti argentum et aurum explorari et probari ſolet; haec vero nomen meum invocabit, atque ego eam exaudiam, dicam eam populum meum, et illa viciſſim me Jovam Deum ſuum dicet.

a) SECTIO XVII. CAPVT XIV

1. En dies Jovae veniet, quo tua in te praeda, *o Hie-*

nexio. Vix dubitari poteſt, quin de morte Meſſiae agat, cum ipſe eum de ſe explicet Matth. XXVI, 30. et Marc. XIV, 27. Loquitur vero Deus pater, qui perſecutoribus Meſſiae permittit, ut manus immittant Chriſto paſtori, promittens ſimul conſervationem ſuorum.

a) In hujus Capitis explicatione valde laborant interpretes. Plerique verba prophetae myſtice accipiunt, diſſentiunt vero in hoc ſenſu myſtico determinando. Alii nimirum omnia impleta eſſe ſtatuunt, alii maximam eorum partem adhuc eſſe implendam. — — Summae ſemper remanent, ex meo quidem ſenſu, in his explicationibus myſticis difficultates, quae ex eo veniunt, quod propheta fere hiſtoricum agere videtur atque multa ſtilo hiſtorico narrat, nominatis multis locis urbis Hieroſolymae et regionis circumjacentis. Quibus, ſi ſenſum myſticum ſubeſſe dixeris, admo-

o *Hieroſolyma*, dividetur. 2. Congregabo enim omnes gentes ad Hieroſolymam oppugnandam. Urbs capietur, domus deſtruentur, mulieres violabuntur, dimidia urbis pars migrabit in captivitatem, ſed reliqua populi pars ex urbe non ejicietur. 3. Ipſe Jova egredietur et pugnabit adverſus has gentes, quemadmodum olim aliquando pugnavit. 4. Tunc ſtabit ſuper monte olivarum, qui eſt Hieroſolymae ab Oriente, et disrumpetur mons ille olivarum in duas partes verſus Orientem et verſus Occidentem, ingente valle

 hinc

modum dubia erit explicatio, quoniam quisque pro ingenio ſuo his ſymbolis alium ſenſum tribuere poteſt, quod etiam factum eſſe, docet diſſenſus interpretum. Unus, quantum ego quidem ſcio, *Grotius* ſenſum literalem huic vaticinio ſubeſſe docuit, cujus implementum quaerendum ſit, ut plerorumque praecedentium, in temporibus Maccabaeorum, nempe in bello cum Antiocho Eupatore, de quo 1 Maccab. VI, 26 ſeqq. Quae hypotheſis, quanquam reliquis omnibus mihi quidem veriſimilior videtur, tamen non ſufficit omnibus difficultatibus tollendis. Nam propheta multa horum temporum eventa praedixit, quorum memoria deinde ab hiſtoricis ſcriptoribus ſervata non eſt. Igitur iſtorum locorum nunquam ſatis clara explicatio dari poterit. Quod tamen non ſufficit, ut propterea tota hypotheſis rejiciatur, quoniam tutiſſima regula eſt optimisque prophetarum interpretibus probata, prophetam de temporibus ei proximis explicare, ſi fieri poteſt, non de remotiſſimis atque ultimis. *Druſius* non auſus eſt aliquid determinare, ſed ſubſtitit in interpretatione grammatica vocabulorum; quam modeſtiam nos quoque imitabimur.

hinc exiſtente, altera illius montis pars verſus ſeptentrionem, altera verſus meridiem abripietur. 5. Sed * obſtruetur iſta vallis montium, ita ut usque ad Azal pertingat, obſtruetur, *inquam*, quemadmodum obſtructum fuit propter terrae motum *b*) ſub Uſia Judaeae rege. Tunc vero Jova Deus meus apparebit omnesque * cum eo ſancti. 6. Illo tempore lux non erit, ſed * frigus et gelu. 7. Per diem integrum, quem Deus tantum novit, neque lux neque caligo erit, ſed circa veſperam lux orietur. 8. Illo tempore perennes aquae manabunt ex Hieroſolyma, et altera quidem earum pars verſus mare orientale, altera vero verſus mare poſtremum, atque *aquae illae* aeſtate et hieme ſcaturient. 9. Jova vero totius terrae rex erit, eo tempore Jova unus erit, hoc nomine tantum notus. 10. Ab omnibus partibus terra habitabitur, per loca campeſtria a Gibea ad Rimmon Hieroſolymae verſus meridiem. Munietur iterum *Hieroſolyma*, et habitabitur a porta Benjaminitica usque ad portam veterem, usque ad portam angulorum, atque a * turre Hananel usque ad torcularia regis. 11. Tuto habitabitur Hieroſolyma ſine timore novae vaſtationis inferendae. 12. Haec vero plaga erit, qua Jova omnes gentes iſtas, quae Hieroſolymae bellum intulerunt, afficiet: corpora eorum tabe

b) Cf. Amos I, 1.

tabe conſumentur, *c*) militibus oculi tabeſcent et lingua faucibus adhaereſcet. 13. Illo tempore Jova iſtas nationes vehementer perturbabit, quae *propterea* foedera inter ſe pangent et pacta ſecum inibunt. 14. Juda quoque Hieroſolymam infeſtabit, et *tunc* omnium gentium finitimarum opes, auri, argenti et veſtium ingens copia congerentur. 15. Simili plaga etiam equi, muli, cameli, aſini et omnia omnino animalia, quae in caſtris iſtis erunt, afficientur. 16. Qui vero ex iſtis gentibus, quae Hieroſolymam oppugnarunt, ſuperſtites fuerint, illi quotannis adoratum venient regem Jovam omnipotentem, celebratumque feſtum tabernaculorum. 17. Si qua vero iſtarum nationum non profecta fuerit Hieroſolymam ad regem Jovam omnipotentem adorandum, in eam non pluet. 18. Quodſi Aegyptiorum natio non profecta fuerit, nec venerit: eadem plaga afficietur, qua Jova affecit nationes iſtas omnes, quae ad feſtum tabernaculorum celebrandum non profectae fuerant. 19. Haec erit poena peccati Aegyptiorum, nec non iſtarum gentium omnium, quae ad illud feſtum peragendum non venerint. 20. Eo tempore equorum tintinnabulis inſcriptum erit: Jovae ſacrum, atque ol-

c) In textu hebraeo eſt: וְהוּא עֹמֵד עַל רַגְלָיו *qui ſtat ſuper pedibus ſuis.* Quae periphraſis eſt militis ſtantis in ſtatione ſua, ſive in acie adverſus hoſtem. Oppoſitum eſt *cadere*, pro: mori in praelio.

lae aedis divinae ejusdem erunt cum pateris arae ſanctitatis. 21. Atque omnes omnino ollae Hieroſolymae et Judaeae Jovae omnipotenti ſacrae erunt, ita ut qui ſacrificare velit, eas ad carnem in iis coquendam adhibeat; nec Cananita amplius in templo Jovae omnipotentis eo tempore profanus habebitur.

MALACHIAS

SECTIO I. CAPVT I, 1-5.

1. Haec ſunt ea, quae Jova Iſraëlitis per Malachiam dici juſſit: 2. Amavi vos, inquit Jova. Quanam re, dicitis, amorem illum tuum erga nos demonſtraſti? Nonne Eſavus frater fuit Jacobi, inquit Jova, atque tamen hujus poſteros magis, quam illius dilexi? 3. Regionem eorum montanam, quam poſſidebant, ita vaſtavi ut dracones eam inhabitent. 4. Quodſi dicerent Edomitae, graviter quidem afflicti ſumus, ſed reſtaurabimus diruta; haec Jova omnipotens minatur: aedificent, ſed ego deſtruam. Dicetur de illis: haec eſt regio, cujus incolae peſſimi fuerunt, hic eſt iſte populus, cui Deus ſemper indignatur. 5. Haec vos oculis veſtris videbitis, et fatebimini Jovam a) propter ſingularem terrae veſtrae conceſſam felicitatem laudibus efferendum eſſe.

SECTIO

a) Verba hebraea מֵעַל לִגְבוּל יִשְׂרָאֵל varie explicari ſolent

SECTIO II. CAPVT I, 6-14

6. Filius patrem honorare debet, et ſervus dominum ſuum. Si pater ego ſum, ubi eſt ille honor meus? ſi dominus, ubi mei reverentia? dicit Jova omnipotens vobis ſacerdotibus, qui me contemnitis. At vos quaeritis, quanam re me contemnatis? 7. *Nempe* dum affertis ad altare meum oblationes impuras. Sed ſcire vultis, in quo me dehoneſtetis? *b*) quando

lent ab interpretibus. Ego quidem עַל ut ſubſtantivum accipio, *excellentiam*, *praeſtantiam* alicujus rei notans. Quam ejus ſignificationem raram non eſſe, ſupra jam dictum eſt ad Hoſ. VII, 16. Lamed לְגְבוּל praemiſſum eſt nota genitivi; hinc ſenſus ille verboruin, quem in verſione indicavi.

b) Non puto me reprehendendum eſſe, quod verba hebraea בֶּאֱמָרְכֶם שֻׁלְחַן יְהוָה נִבְזֶה הוּא non verterim, uti vulgo fit: *quando diciris, menſa Jovae eſt res contemta.* Nam propheta neque hoc dixit, neque dicere potuiſſet, niſi novae Judaeorum exceptioni locum daret, ſe nunquam hoc dixiſſe. Sed facta Judaeorum ea eſſe dicit propheta, ex quibus clare poſſit intelligi, ſe menſam Dei contemnere. Quod ex ſequenti verſu plane apparet, in quo propheta id, quod dixerat, probat. Igitur haec verba explicanda ſunt ad regulam grammaticis non ignotam, modo non ſemper, quando fieri debebat, ad uſum translatam: Verba, quae eſſe vel fieri ſignificant, quandoque pro rei opinione ponuntur. Vid. *Glaſſii* Philol. S. pag. 228. edit. novae.

factis oſtenditis, menſam meam a vobis deſpici. 8. Quanquam enim caecum affertis ſacrificium, tamen in eo peccare vobis non videmini, nec ſi claudum aut aegrum affertis, mali aliquid committere putatis. Offerte illud principi veſtro, num ei placebitis, aut ab eo, quod cupitis, impetrabitis? inquit Jova omnipotens. 9. Jam igitur implorate * gratiam meam. Cum talia a vobis committantur, num veſtra cauſa perſonarum reſpectum habeam? inquit Jova omnipotens. 10. Mallem ut templi januae clauderentur, ne amplius ſuper altari meo victimas fruſtra accenderetis. Non mihi grati eſtis, inquit Jova omnipotens, neque placent mihi ſerta a vobis oblatè. 11. Nam ab ortu ſolis usque ad occaſum magnum erit inter gentes nomen meum, et ubique locorum ſuffitus in honorem meum accendetur, et fertum purum: immo magnopere inter gentes nomen meum celebrabitur, inquit Jova omnipotens. 12. Vos vero illud profanatis, c) dum factis menſam meam polluitis et proventus ei offerendos ut cibum contemtibilem tractatis. 13. Dicitis: * Damus, quae multo cum labore acquiſivimus. Ego vero illud rejicio, inquit Jova omnipotens. Affertis enim raptum, claudum, aegrotum. Tales veſtrae oblationes num mihi placere poſſunt? dicit Jova. 14. Male pereat ille deceptor,

c) Cf. nota ad verſum 7.

ceptor, qui, quanquam habet in grege ſuo *d*) maſculum ſanum, tamen vovet et immolat Domino corruptum. Magnus enim ego rex ſum, dicit Jova omnipotens, meumque inter gentes nomen verendum.

SECTIO III. CAPVT II, 1 - 9

1. Jam ad vos hoc habeo mandatum, o ſacerdotes! 2. Niſi obtemperaveritis, et niſi omni ſtudio hoc egeritis, ut honos mihi debitus exhibeatur, inquit Jova omnipotens, vos gravi calamitate afficiam. Loco beneficiorum vobis promiſſorum mala vobis immittam, quemadmodum jam facere incepi. Sed vos non attenditis. 3. En ego *a*) imminuo reditus veſtros, et con-

d) זָכָר h. l. non ſimpliciter *maſculum* verti poteſt, ſed *ſanum* et *integrum* זָכָר תָּמִים Levit. XXII, 19. Opponitur enim τῷ מָשְׁחָת *corrupto*.

a) Omnes hujus verſus difficultates, in quibus removendis interpretes valde laborant, diſparent, ſi ad connexionem totius loci attendamus. Propheta affert nonnulla hujus maledictionis exempla, ex quibus ſacerdotes debebant iram Dei intelligere. Primo *increpationem ſeminis*. Verbum גָּעַר, hoc loco, uti ſaepe, de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicitur, omnemque ejus actionem notat, qua malum vel immittit vel avertit ab homine: ideoque hoc loco omnem modum indicat, quo ſacerdotes agrorum frugibus, decimis nempe et primitiis privati ſunt, ſive per ſterilitatem agrorum, ſive per

conſperſi ſtercore facies veſtras, ſtercus ſunt ſolennitates veſtrae, et quod vobis debetur, ſibi quisque capit.
4. *b*) Noſtis enim, me vobis hoc praeceptum dediſſe, ut

per corruptionem frumenti, ſive per populi defraudationem fiebat. Deinde *contemtum*, quo populus eo tempore ſacerdotes afficiebat, qui propterea vitam agebant triſtem, miſeram, afflictam. Hanc propheta deſcribit verbis tropicis: Conſperſi ſtercore facies veſtras, i. q. verſu 9 proprie dicitur: וְגַם אֲנִי נָתַתִּי אֶתְכֶם נִבְזִים Sequentis cominatis idem ſenſus eſt: *Stercus ſunt ſolennitates veſtrae*, h. e. dies illos, quos laeti et hilares peragere debebatis, in luctu et ſqualore immo ignominia vobis peragendi ſunt. Tandem *defraudationem*, qua populus ſacerdotibus detrahebat ea, quae iis ex lege divina debebat. De hac enim ultima verba accipio: וְנָשָׂא אֶתְכֶם אֵלָיו Eſt vero duplex in eis ellipſis, primo τοῦ אִישׁ ante נָשָׂא Deinde τοῦ אֲשֶׁר ante אתכם Tandem אליו cum נשא eſt conſtruendum. Haec eſt ratio verſionis, quam dedimus. Ita Chaldaeus interpres verba explicat, optime, uti arbitror, et contextui convenienter: יִתְמְנַע חוּלַקְכוֹן מִנֵּיהּ *prohibebitur pars veſtra ab ea*, ſc. feſtorum ſolennitate, in qua ex ſacrificiis multas partes accipere debebatis, quae vobis a populo vos non curante ſubtrahentur.

b) Hunc locum, cujus tam diverſae tamque parum probabiles dantur interpretationes, ex contextu facillime explicari poſſe, adeo mihi perſuaſum eſt, ut mirer interpretes hanc textus συνάφειαν non attendiſſe. Nempe propheta Levitis et ſacerdotibus ſuae aetatis in mentem revocat foedus illud, quod

ut cum Levitica tribu foedus mihi intercederet, dicit Jova omnipotens. 5. Foedus illud meum cum ea nihil niſi promiſſiones felicitatis conſtantis et perpetuae continebat. * Volui ut me timeret, nomenque meum revereretur; 6. Vera legis doctrina imbuta eſſe debebat, et ab omni omnino iniquitate remota, recte et ſincere erga me ſe gerere, multosque a peccando avertere. 7. Sacerdos enim diligens doctrinae cuſtos eſſe debet, ut legem ab eó alii reſcire poſſint, nam meus eſt legatus — — 8. Vos vero ab illa via receſſiſtis, et in cauſa fuiſtis, ut multi contra legem peccarent; foedus illud Leviticum violaſtis, inquit Jova omnipotens. 9. Propterea vos contemtos et abjectos univerſo populo reddidi, quoniam vias vobis prae-

quod Deus cum tribu Levitica pepigerat, ejusque conditiones, quae fuerint, exponit verſſ. 5. 6. 7. Deinde docet, illos hoc foedus non ſervaſſe, nec ſatisfeciſſe illis conditionibus, ſub quibus eis Deus tot tamque eximias promiſſiones dederat, verſ. 8; hinc recte eos a Deo puniri, omnemque calamitatem ſuam ab illa cauſa eſſe repetendam, verſ. 9. — — Duae igitur ſunt hujus pericopae partes: Theſis, quae verſſ. 4. 5. 6. 7, et Hypotheſis, quae duobus ſequentibus continetur. *Verba* vero *activa* in tota hac pericopa, uti alias ſaepe, non *actum*, ſed *debitum* vel *officium* notant. (*Glaſſius* in Philol. S. pag. 199.) Quae grammaticorum obſervatio ſi interpretibus in mentem veniſſet, non haeſiſſent, uti arbitror, aut argutati eſſent in hujus loci explicatione.

praeſcriptas non tenetis, et in lege tradenda perſonarum reſpectum habetis.

SECTIO IV. CAPVT II, 10-16

10. Nonne nos omnes unum patrem habemus? nonne unus Deus nos creavit? cur igitur perfide agimus alter in alterum, foedus majorum noſtrorum violando? 11. Perfidia commiſſa eſt in Judaea, et abominandum factum in Iſraële et Hieroſolymis patratum eſt. *c*) Etenim profanat Judam, ſanctitatem Jovae, qui amat et in matrimonium ducit uxorem peregrinam. 12. Perdet Jova eum, qui hoc fecerit, *d*) omnemque ejus familiam e Jacobaeorum habitationibus delebit, quanquam Jovae omnipotenti ferta obtulerit. — — 13. Alterum crimen, quod committitis, eſt hoc:

c) Plerumque quidem *Subjectum* orationis putatur eſſe *Juda.* Sed recte, uti puto, Celeb. *Venema* in Commentario, ad h. l. hoc negavit. *Juda* objectum eſt, quod profanatum dicitur. Nam conſideratur ut populus Dei ſanctus, ut peculium ejus. Quod clarum eſt ex Epitheto, *ſanctitas Jovae.* Subjectum loco Praedicati poſitum eſt: qui amat et in matrimonium ducit, et rel. Hiſtoria legitur Eſrae IX. et Nehem. XIII.

d) עֵר וְעֹנֶה *vigilantem et reſpondentem.* Videtur eſſe dictio proverbialis, qua tota alicujus familia indicatur, ſive omnes in una domo conjuncti. Ita etiam Chaldaeus et Syrus intellexerunt: *filium et nepotem*, in quorum verſione non ſubeſſe videtur varia lectio.

hoc: Cauſa eſtis, quod ara Jovae lacrimis obtegatur, quod fletus et gemitus ubique circumſonent, ita ut non poſſim amplius ferta reſpicere, aut ſacrificia veſtra cum approbatione accipere. 14. Quaeritis, quam ob rem? Quoniam Jova non ignorat perfidiam, quam in conjuges vobis in juventute veſtra junctas committitis, quanquam legitimo matrimonio vobis aſſociatae ſint. — — 15. *e*) Nullusne hoc fecit ſalva virtute ſua? Sed quare ille unus hoc fecit? nempe ex deſiderio filii a Deo promiſſi. Cavete igitur vobis, ne in primas veſtras uxores perfide agatis. — — 16. *f*) Inviſam dimittere licet, dixit Jova

e) Illis aſſentior interpretibus, qui verba hujus verſus putant eſſe Judaeorum, excuſantium ſe atque objicientium exemplum Abrahami, qui ſimile quid feciſſet atque Hagarem ſibi junxiſſet praeter Saram uxorem ſuam legitimam. Cui explicationi inprimis favet reſponſio prophetae: ומה האחד מבקש זרע אלהים Sed tecte hoc faciunt, prophetam interrogantes, an non meminerit exemplum cujusdam, qui idem fecerit. לא ־ אֶחָד enim *non ullus* i. q. nullus, ut 2 Sam. XIII, 30. XVII, 12. Igitur Judaei Abrahamum non *unum* quaſi *κατ' ἐξοχὴν* ita vocant, ſed propheta hoc facit, praemiſſo propterea He articuli.

f) Verſionem difficillimi hujus verſus maxima ex parte debeo Celeberrimo *Venemae*, qui in Commentario ſuo ad h. l. lucem mihi accendit ad hujus verſus obſcuritatem diſcutiendam. Velim ut mei lectores quoque ſentiant probabilitatem

va Deus Iſraëlis. Licetne etiam dure aut violenter tractare ſuam conjugem? dicit Jova omnipotens. Cavete igitur vobis, ne perfidiam committatis.

g) SECTIO V. CAPVT II, 17-III, 12

17. Moleſti eſtis Jovae veſtris ſermonibus. Quaeritis, quo-

tatem et facilitatem hujus explicationis. — — Novam continet hic verſus Judaeorum objectionem, cum prophetae reſponſione. Hoc clare indicant diverſa nomina, quae Deo dantur, et cujus auctoritate quaelibet pars ſuam ſententiam quaſi defendere ſtudet. Judaei dicunt: Deum ipſis permiſiſſe divortia. Propheta hoc eis concedit, dum non negat; ſed negat licere eis, dure et violenter tractare uxores non dimiſſas — — Addam paucas obſervationes grammaticas, quae ad probandam verſionem meam faciunt. כִּי שָׂנֵא *quia odit*, ſcilicet maritus, indefinite dictum videtur: quicunque oderit ſc. uxorem — — שַׁלַּח Infinitivus loco Praeteriti, quod praecedit, ex Idiotiſmo, de quo ad Zeph. III, 20. dictum eſt: cujus et aliud exemplum eſt in hoc Capite verſ. 13. in כַּסּוֹת et ſic centies — — שלח ut et ſequens כסה *facultatem* et *poteſtatem* tantum indicant, non *actum* ipſum. Verba vero activa ſaepe ita vertenda eſſe, jam a *Glaſſio* obſervatum eſt. — — Denique לְבוּשׁ *veſtimentum* h. l. tropice uxorem indicare, probabiliter ex uſu loquendi Arabico docuit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. et contextus hanc ſignificationem comprobat.

g) Novam ſectionem in hoc verſu incipiendam eſſe, ex ſequenti

quomodo moleſti? Quando diciris: qui malum facit, bonus habetur apud Jovam, eique placet; ſin minus, ubi

ti Capite plane apparet, in quo propheta ad has Judaeorum querelas reſpondet. Sed de argumento ejus et connexione pauca dicam, cum multos interpretes videam de eis parum ſubtiliter diſputare. Plerique enim verba hujus verſus, hominum impiorum eſſe dicunt, Epicuraeorum providentiam divinam negantium. Sed qui ita ſentiunt, non ſatis attenderunt ad reſponſionem prophetae. Is vero Cap. III, 1. de his ipſis hominibus dicit, eos cupide expectare dominum ad templum ſuum venientem: deinde eis certiſſime promittit adventum Meſſiae, quod utrumque non convenit hominibus atheis, Epicuraeis. — — Nimirum affert propheta querelas Judaeorum de minus proſpera et infelici rerum ſuarum ſtatu, felici contra populorum vicinorum. Talem enim eum illo tempore fuiſſe, diſcimus ex Nehem. IX, 36. 37. Per impatientiam igitur abrepti negabant, hoc cum juſtitia et ſanctitate Dei conciliari poſſe, quae pati non poſſet aut deberet populum, cui tot promiſſiones dederat, de defenſione et liberatione inprimis per legatum aliquando mittendum, tantopere affligi atque a gentibus infidelibus opprimi. Ex prima vero parte reſponſionis prophetae, quae eſt a verſu 1-5, apparet, Judaeos plura iſtius generis dixiſſe, quam propheta Cap. II, 17. attulerat; inprimis videntur legatum quendam Dei ex foedere eis promiſſum expectaſſe, qui eos ab hoſtibus ſuis defenderet et in libertatem vindicaret. Docet enim propheta, legatum illum Dei ſuo tempore certiſſime eſſe appariturum; ſed aliam longe et diverſam adventus ejus futuram eſſe rationem, quam ipſi ſperabant et expectabant.

ubi eſt Deus, qui puniat? — — CAPVT III, 1. En ego mittam legatum meum, qui viam mihi praeparabit; et mox veniet ad templum ſuum dominus, quem vos requiritis, et legatus foederis, quem cupide deſideratis. 2. En veniet, inquit Jova omnipotens. Sed quis ejus adventus diem ſuſtinebit, aut quis eo apparente conſiſtet? etenim ſimilis erit igni aurifabri, aut ſaponi fullonum. 3. Sicuti ſedet aurifaber et argenti purgator, ita purgabit Levi poſteros, et eliquabit eos, ſicuti aurum et argentum, ut Jovae ferta juſte offerant; 4. et accepta erunt Jovae iſta ferta Judaeorum et Hieroſolymitanorum, ſicuti olim et antiquiſſimis temporibus — — *a*) 5. Ego quoque me ut judicem jam exhibui, teſtis fui acerrimus in praeſtigiatores, in adulteros, in perjuros, in eos qui mercenarios, viduas, pupillos et peregrinos opprimunt et me non timent, dicit Jova omnipotens. 6. Sed quoniam ego Jova immutabilis ſum, vos Jacobi poſteros non prorſus perdidi. 7. Inde a majorum veſtrorum temporibus vos a ſtatutis meis deflexiſtis, neque ea ſervaſtis; redite ad me, atque ego ad vos redibo, inquit Jova omnipotens. Sed quaeritis, in quo redeundum vobis ſit? 8. Num audeat homo Deum defraudare? Vos vero hoc facere au-

a) Reſpondet propheta ad iſta verba Judaeorum in verſu 17. Capitis praeced. אַיֵּה אֱלֹהֵי הַמִּשְׁפָּט ubi eſt Deus judicii? verſu 5-12.

Digitized by Google

audetis. Quaeritis, in quo me defraudetis? In decimis et oblationibus. 9. Dira vos urget calamitas, et tamen me defraudatis, vos omnes. — — 10. Afferte decimas omnes in cellam, ut alimenta ſint in aede mea, et tentate me in eo, inquit Jova omnipotens, an non largam daturus ſim vobis pluviam, tantamque ubertatem effuſurus, quae capi tota non poſſit. 11. Compeſcam animalia vobis noxia, ne terrae proventus corrumpant; atque efficiam, ne ſteriles ſint vobis vineae, dicit Jova omnipotens. 12. Felices vos praedicabunt gentes omnes propter tantam terrae veſtrae fertilitatem, dicit Jova omnipotens.

b) SECTIO VI. CAPVT III, 13-24

13. Admodum inique de me judicatis, dicit Jova. Quaeritis, quae ſint illa veſtra erga me iniqua judicia?

b) Magnam habet argumentum hujus pericopae cum praecedenti ſimilitudinem. Nova Judaeorum objectio affertur, ſed non profanorum et atheorum, qui divinam providentiam negent, uti multis interpretibus videtur; ſed piorum et Dei cultorum. Etenim diſtinguunt ſe a ſuperbis et impiis, conqueruntur ſuam ſortem, quae miſera eſſet, quod Deum colerent, impiorum contra fortunatam. Ipſe etiam propheta ad eos verſ. 20. ſermonem vertit, eosque Jovam timentes vocat. Duriores quidem videntur eorum querelae, quam quae ab hominibus piis proferri poſſent; ſed meminiſſe debemus, ſaepe homines pios in hanc tentationem in-

cia? 14. Nempe dicitis: fruſtra Deo ſervitur; quamnam enim habemus ex diligenti praeceptorum illius obſervatione utilitatem, et ex habitu lugubri, quo ejus cauſa utimur? 15. Jam quidem beatos praedicamus ſuperbos, felices ſunt homines impii; ſi vel Deum irritant, tamen evadunt omnia pericula. 16. c) Olim vero poterant Dei cultores ſeſe mutuo conſolari. Jova benigne eos audiebat, catalogum quaſi habebat eorum, qui eum timerent, et in pretio haberent — — 17. Sane erunt mihi, inquit Jova omnipotens,

cidiſſe, ut de providentia divina propter apparentem impiorum felicitatem dubitarent.


c) Sequor in interpretatione hujus et praecedentis verſus Celeb. *Venemam*, qui haec quoque verba Judaeorum eſſe putat, quos propheta loquentes introducit, atque hunc verſum ita cum praecedenti connectit, ut ab iſtis hominibus praeterita tempora cum praeſentibus comparentur: olim quidem Deum longe aliter egiſſe cum ſuis; potuiſſe eos ſeſe irruente forſan aliqua calamitate mutuis excitare adhortationibus ad patientiam divinum auxilium expectantem; nec vanam eorum ſpem fuiſſe, Deum enim eorum memorem fuiſſe, nec diu eis ſuum ſubtraxiſſe auxilium etc. Ita ſibi opponuntur particulae temporis עתה in verſ. 15. et אז in verſu 16. — — דִּבֵּר non ſimpliciter *loqui* h. l. ſignificat, ſed *jucunda* et *ſolantia* loqui, quam ſignificationem alias quoque nonnunquam habet, v. g. Jer. XV, 16. XXIII, 17.

potens, eo tempore, d) quo factum illud inſigne patrabo, inprimis cari; curam eorum geram, ut pater filii, qui eum ſtudioſiſſime colit. 18. Et tunc melius edocti intelligetis, quantum diſcrimen ſit inter pium et impium, inter Dei cultorem et ejus contemtorem. 19. Etenim dies veniet, ardentis inſtar fornacis. Tunc erunt omnes ſuperbi et impii ſtipulae, quas dies ille incendet, inquit Jova omnipotens, penitusque conſumet. 20. Vobis vero nomen meum reverentibus, orietur ſol recreans, cujus radii ſanitatem vobis afferent, laetique exſultabitis ut vituli ſa-

 gina-

d) עָשָׂה abſolute poſitum habet ſignificationem praegnantem, nempe *inſigne opus facere atque eximium.* Ita ſaepe a prophetis dicitur, v. c. Jeſ. XXVIII, 21. Jer. XVIII, 23. XXIII, 20. Atque contextus etiam probat hanc ſignificationem, nimis enim eſſet tenuiter dictum, ſi vertere velis: *eo die, quo faciam, erunt mihi cari;* inprimis cum ſequatur in verſ. 19 et ſeqq. deſcriptio judicii divini terribilis exercendi in impios — — De tempore, in quo hujus vaticinii implementum quaerendum ſit, admodum diverſae ſunt interpretum ſententiae. Mihi quidem non improbabilis videtur hypotheſis Celeb. *Venemae*, qui Maccabaeorum temporibus haec impleta eſſe aſſerit. Favet hypotheſi non ſolum contextus, ſed etiam regula, quam optimi interpretes in inveſtigandis vaticiniorum temporibus ſequendam praecipiunt: ſi prophetiae implementum in temporibus prophetae proximis oſtendi poteſt, aliud remotius non eſſe quaerendum. Sed non eſt hujus loci, haec ulterius proſequi.

ginati. 21. Impios vero conculcabitis, erunt enim
inſtar pulveris ſub pedibus veſtris, eo tempore quo
ego illuſtre illud facinus patrabo, inquit Jova omni-
potens. 22. Memores eſtote legis, jurium et inſti-
tutorum, quae per Moſen miniſtrum meum in Hore-
bo monte omnibus Iſraëlitis dedi — — 23. En mit-
tam vobis Eliam prophetam, antequam dies Jovae
magnus et terribilis veniat. 24. Is operam dabit,
ut ad majorum mores poſteros reducat, hosque illo-
rum agendi rationi iterum adſuefaciat, ne hanc
terram cogar excidio prorſus
evertere.



NOTAE

Digitized by Google

NOTAE CRITICAE
IN
VERSIONEM LATINAM
PROPHETARVM
MINORVM

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTAE CRITICAE
IN
HOSEAM

Ad Cap. II, 8.] Pro דַּרְכֵּךְ legendum videtur דַּרְכָּהּ ut in ſequenti גְּדֵרָהּ et נְתִיבוֹתֶיהָ Sic et *οἱ ό* et Syrus.

ad verſ. 11.] Secutus ſum in verſione *τοὺς ό* qui pro לְכַסּוֹת legerunt מְכַסּוֹת ut Cap. IV, 6. legitur מְכַהֵן, vertunt enim : *τοῦ μὴ καλύπτειν.* Senſus eſt, quod nemo negabit, longe aptior contextui, quam ellipſis, qua ſuppleta ſenſus exiſtit perquam frigidus: lana et linum, *quod dederam* ad tegendam nuditatem ſuam : uti habent Chaldaeus et Syrus. Immo vero Deus non neceſſaria tantum ſuppeditarat, ſed largam omnium rerum copiam et abundantiam. cf. verſ. 10.

ad verſ. 17.] Hebr. וְעָנְתָה שָׁמָּה LXX interpretes vertunt *καὶ ταπεινωθήσεται ἐκεῖ*, Symmachus *κακωθήσεται*, Syrus וְתִתְמַכֵּךְ תַּמּוֹן *humiliabitur ibi.* Hi igitur interpretes aliis punctis ſubjectis legerunt עֻנְּתָה quam lectionem receptae putem praeferendam, quae non aptum fundere ſenſum videtur. Quodſi enim vertitur per *canet*, uti Vulgatus fecit, et de al-

alternis cantionibus explicatur, de quibus ענה dicitur, non convenit hoc ſequentibus. Conſtat enim ex hiſtoria, Iſraëlitas minime cum cantu et inter laeta jubila ex Aegypto eſſe egreſſos, ſed potius magna cum feſtinatione, ita ut de carminibus canendis profecto non cogitarent.

ad cap. IV, 11.] *οἱ ὁ* jungunt עִמִּי quod ex recepta diſtinctione verſum 12. incipit, cum verſu 11. Syrus vertit, quaſi legiſſet לִבָּם *vinum atque ebrietas intercepit mentem eorum.* Illos in verſione ſecutus ſum.

ad verſ. 14.] לֹא interrogative accipio pro הֲלֹא. Fortaſſe ה ſcribarum vitio omiſſum eſt, quod He praecedit.

ad verſ. 18.] In textu hebraeo eſt אָהֲבוּ הֵבוּ, *amant date.* Sed illud הֵבוּ ſine dubio vitio ſcribarum irrepſit, quod ſimilis ſyllaba praecedit. Nullus antiquiorum interpretum hoc הבו legit. Aut, ſi licet aliam afferre conjecturam, fortaſſe lectum fuit אָהֹב אָהֲבוּ *amando amant*, ut ſimilis conſtructio praecedit, atque alterum א ſcribae errore eſt omiſſum.

ad Cap. V, 2.] Difficilem hunc locum verto ex lectione *τῶν ὁ* et Syri interpretis. Illi quidem habent: *ὁ* (*δίκτυον*) *οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν.* Hic: *et venatores venantes expandunt laqueos.* Conſentiunt in lectione, levi tantum diſcrimine intercedente. Uter-

Uterque pro וַשַׁחֲטָה legit צַיָּדִים *venatores* et pro שֵׂטִים *οἱ ὁ* צָדָה ſed Syrus צָדִים *venantes*, addito פַּחָא *laqueos*, quod vel ab ipſo eſt, ad ſententiam ſupplendam, vel ex gloſſemate. Tandem הֶעְמִיקוּ uterque legit, quod Syrus per טָמְרוּ *abſcondunt* explicat, *οἱ ὁ* per *κατέπηξαν*, *defixerunt*. Vau ante שחטה, ſive ex lectione horum interpretum צירים, dictum eſt pro אשר et referendum ad praecedens רֶשֶׁת *rete*.

ad verſ. 11.] In textu hebraeo legitur הוֹאִיל הָלַךְ אַחֲרֵי־צָו *lubenter ivit poſt praeceptum.* Praeceptum intelligunt tale, quod reges impii de cultu idolis praeſtando dediſſent. Sed *οἱ ὁ* vertunt: *ὀπίσω τῶν ματαίων*, et Syrus: *poſt vanitates*. Clarum eſt, eos pro צו legiſſe שָׁוְא. Vulgatus interpres vertit *poſt ſordes*, aliis punctis ſubjectis legit צוֹ pro צוֹא *ſtercus*. Sic etiam Chaldaeus, qui vero totum verſum de iniquitate judicum explicat alios per avaritiam opprimentium. Illorum lectionem recepta longe faciliorem praeferendam putavi. Sub vanitate vero, quam ſectari dicuntur Ephraimitae, idola ſunt intelligenda, quo nomine ſaepe apud prophetas veniunt. Atque haec eorum idolomania cauſa judiciorum divinorum eſſe dicitur.

ad Cap. VI, 5.] Ex primo verſu hujus pericopae apparet, ſermonem non eſſe de falſis prophetis, ſed de utroque regno univerſe ſpectato, Iſraële ſ. Ephraimo

M 5 et

et Juda. Miror igitur recentiores quoſdam interpretes ſenſum primi membri in hoc verſu non vidiſſe, cum per ſe inventu non difficilem, tum in altero membro aliis verbis explicatum. Verba hebraea ita ſonant: *propterea caecidi per prophetas, occidi eos per ſermones oris mei.* Illa *occiſio per os Dei* non facta eſſe poterat *in prophetis*, quos Deus potius in priori membro adhibuiſſe dixerat *ad caedendum.* Igitur affixum in הֲרַגְתִּים neceſſario referendum eſt ad Subjectum totius pericopae, nempe utrumque regnum verſ. 4. Atque illud ipſum affixum etiam ad verbum prioris membri חָצַבְתִּי ſupplendum eſt, ex paralleliſmo ſententiarum, quod nos fecimus in verſione, verba hebraea genio latinae linguae accommodantes. Nam prophetae et Deus per prophetas dicuntur ea facere, quae praedicunt. v. c. Jer. I, 10. Dixerim, Mem illud poſt חצבתי excidiſſe, ſi antiquiores interpretes hujus conjecturae teſtes citare poſſem. At enimvero in ultimo membro וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא non dubitem affirmare legendum eſſe וּמִשְׁפָּטִי כְּאוֹר Ita enim omnes interpretes, ſi a Vulgato diſceſſeris, legerunt. Caph ſcribarum errore praecedenti voci junctum eſt, ſequenti praefigendum. Aliud ejuſdem erroris exemplum aeque luculentum extat Jer. XXIII, 33. אֶת־מַה־מַשָּׂא pro אַתֶּם הַמַּשָּׂא Quae ſcribarum vitia produnt, ut hoc obiter addam, recentiorem literarum finalium originem.

ad

ad Cap. VII, 5.] In priori membro hujus verſus ſecutus ſum τοὺς ό, Chaldaeum, Syrum, Vulgatum, qui omnes vertunt: *coeperunt principes furere vino.* Pro הֶחֱלוּ legerunt ſine dubio הַחֵלוּ et pro ſubſtantivo חֲמַת *aeſtus*, infinitivum *aeſtuare* ſ. *furere* — — In poſteriori membro מָשַׁךְ non habet nominativum, niſi referatur ad praecedens ſubſtantivum מַלְכֵּנוּ, qui deſcribitur ab actione quadam: *extendit manum ſuam* ſc. ad pocula: eſt compotor iſtorum profanorum.

ad verſ. 6.] Verſum hunc difficillimum eſſe, omnes interpretes fatentur. Rationes reddam verſionis meae partim ex lectione antiquorum interpretum, partim ex ſignificatione paullo rariori vocabulorum factae. Judicent viri docti de ejus probabilitate.

a) כִּי־קֵרְבוּ כַתַּנּוּר לִבָּם *οἱ ό*, *διότι ἀνεκαύθησαν ὡς κλίβανος αἱ καρδίαι αὐτῶν*, quibus conſentit Syrus; *propterea quod incaluit cor eorum.* Utrum חרבו legerint, quod *Cappellus* divinabat, an קדחו quod *Buxtorfio* placebat, incertum eſt; prius tamen ob majorem literarum ſimilitudinem veriſimilius videtur. *Caſtellus* quidem in Lexico Heptaglotto verbo קרב *adolendi* et *incendendi* notionem tribuit, ita ut τῷ קטר reſpondeat, ſed unicum hunc locum ad hanc ſignificationem probandam affert, in quo non de ſacrificiis ſermo eſt, ſed de animorum vehementiori agitatione. —

b)

b) בְּאָרְבָּם כָּל־הַלַּיְלָה יָשֵׁן אֹפֵהֶם *in inſidiis ſuis tota nocte dormit piſtor eorum.* Quantopere interpretes receptae lectionis tenaces in ſenſu hujus verſionis explicando laborent, teſtantur eorum commentarii. Faciliorem ex meo quidem ſenſu puto eſſe connexionem, ſi בארבם ad ſecundum verſus membrum trahatur, quam ſi, quod accentus volunt, cum primo connectatur. Senſus tamen non magnopere differt, ſive huic ſive illi membro jungatur. ישן hoc loco non eſt in ſignificatione uſitata *dormiendi*, ſed paullò rariori, nec tamen vel linguae hebraeae incognita, *ſuperſtitem eſſe, continuare;* ita Deut. IV, 25. dicitur. — — Pro אֹפֵהֶם puto legendum eſſe אַפְּהֶם ſ. אַפָּם *ira, furor eorum.* Ita Chaldaeus et Syrus legerunt.

ad Cap. VIII, 2.] Oi ό et Syrus יִשְׂרָאֵל omittunt. Poteſt ſane abeſſe. Saltem non ſuo loco ſtat. Igitur vel ut nominativus cum לִי יִזְעָקוּ conſtruatur, vel poſt אלהי ponatur, quae *Hubigantii* conjectura eſt non inepta: *o Deus Iſraëlitarum, te novimus.*

ad verſ. 4.] Legendum videtur יִכָּרֵתוּ quoniam verba et pronomina in numero plurali praecedunt. Non habet recepta lectio nominativum, quocum conſtruatur, niſi ישראל in verſu tertio. Pluralem numerum omnes verſiones expreſſerunt.

ad

ad verſ. 5. et 6.] Lectio horum verſuum recepta adeo difficilis eſt et impedita, ut nulla ratione commodam admittat explicationem. Neque ex antiquiorum interpretum verſionibus ſenſus exſculpi poteſt probabilis. Sed trajectione primi membri verſus quinti ad initium verſus ſexti omnes difficultates diſparent, et conſtructio verborum eſt aptiſſima. *Hubigantii* haec eſt conjectura, quam contortis praeferendam putavi explicationibus. Non magnopere faveo conjecturis, fateor, omnium minime in Critica Veteris Teſtamenti; nec tamen mihi temperare potui, quin hanc difficili interpretationi praeferrem, quae per facilitatem ſuam ſemper vel repetito examine placebat, quod bonae conjecturae indicium eſſe ſolet. Judicent alii ex ſuo ſenſu de ejus probabilitate.

ad Cap. IX, 2.] Pro בָּהּ ſine dubio legendum eſt בָּם Sic duo Codices *Hubigantii* et Cod. poſterior *Lilienthalii* omnesque verſiones antiquae. cf. S. R. *Lilienthalius* in Comment. crit.

ad Cap. X, 5.] Legendum eſt in ſingulari לְעֶגְלַת *propter vitulum.* Nam unus tantum erat Bethele, atque in ſequentibus tantum de uno ſermo eſt. Sic etiam *οἱ ὁ* et alius graecus interpres a *Montefalconio* citatus, nec non Syrus.

ad verſ. 9.] Dicam, quid ſentiam de hoc verſu admodum difficili, rationem ſimul redditurus verſionis meae. Judicent viri docti de conjecturarum mearum

rum probabilitate — — גִּבְעָה non videtur eſſe nomen proprium, ſed appellativum. In antecedenti verſu propheta jam idololatriam in locis excelſis reprehenderat: jam hyperbolice dicit: ex quo colles exiſtunt, in eis peccaſtis o Iſraëlitae! — — עָמַד h. l. puto eſſe *preces et ſacra facere*, שָׁם ibi ſc. in iſtis collibus. Sic עָמַד dicitur 2 Par. XX, 13. Jer. XVIII, 20. — — לֹא dictum eſt pro הֲלֹא quam interrogationem ego affirmative expreſſi in verſione. — — Ultima verba hujus verſus עַל בְּנֵי עַלְוָה jungo cum primo verbo ſequentis verſus, quod pro בְּאַוָּתִי lego בָּאתִי Habeo ex parte mecum conſentientes τοὺς ό,, ſaltem ex lectione Codicis Alex. ἐπὶ τέκνα ἀδικίας ἦλθε παιδεῦσαι αὐτούς. Abeſt tamen illud ἦλθε in Codice Vaticano, conſtructione vero valde imperfecta. Equidem fateor, non neceſſarium eſſe ut recepta verſuum diſtinctio deſeratur. Poſſunt illa verba על בני עלוה referri ad affixum in תַּשִּׂיגֵם hujusque emphatica eſſe determinatio: Bellum eos opprimet in iſtis collibus, *hos peccatores!* Sed tunc Vau ante ואסרם abeſſe debet, ſi בְּאַוָּתִי legitur et vertitur: *in ira mea caſtigabo eos*, quod etiam Syrus omittit. Poteſt vero adeſſe, ſi legitur בָּאתִי ad quam lectionem magis inclino, nam אוה pro *ira* et *indignatione* nunquam, quod ſcio, dicitur.

ad verſ. 10.] *Duplex* illud *peccatum* ſunt duo vituli aurei Bethele et Dane ab univerſo populo culti. Eſt

Eſt vero hoc loco varia lectio ab ipſis Maſorethis notata. Nam ſecundum Ketib legendum eſt עֲוֹנָתָם. In quo explicando interpretes valde laborant. Lege, ſi placet, *Schultenſium* l. c. qui potiores explicationes enumeravit et refutare inſtituit. Novam vero quam operoſe ex Arabiſmo probavit, tandem ipſe Hebraiſmo parum convenientem fatetur. Judaei interpretes more ſuo in explicanda lectione diverſa valde ineptiunt, qui etiam, ni fallor, Chriſtianis fraudi fuerunt, ut difficultates invenirent, ubi nullae eſſent. Nam quod *Schultenſius* contra explicationem, quam ego ſecutus ſum, objicit, עֲוֹנוֹת *iniquitates* in plurali ut maſculinum conſtrui, hoc me movere non potuit, ut eam deſererem. Etenim utraque forma maſculini et foeminini generis in uſu fuit עֲוֹנִים et עֲוֹנוֹת quae quin commutatae interdum fuerint, nihil repugnat. Vel, ſi cui hoc durum videatur, nomen hoc plurale a ſingulari foeminini generis עֲוֹנָה derivet, quod *Simonis* in Lexico ſuo fecit, et ſic analogiae generis optime eſt conſultum. Antiquiores quidem interpretes, nempe *οἱ ό*, Syrus, Arabs, Vulgatus in lectione et verſione horum verborum conſentiunt.

ad verſ. 14.] Quoniam ſententia et comparatio in antecedentibus abſoluta eſt, equidem puto rectius cum his verbis novum verſum incipere. Lectio quidem recepta horum verborum eſt כִּי בָטַחְתָּ בְדַרְכְּךָ *confiſus es viae tuae*, quam ita explicant: perſuadebas tibi,

tibi, cultum illum vitulorum non adeo eſſe improbandum, quia Jovam ſub his imaginibus colere dicitis. Sed haud ſcio, an unquam Judaei in hac perſuaſione fuerint, cum Deus ſaepiſſime illis teſtatus eſſet, quantopere ſibi hic cultus diſpliceret. Deinde ſequens membrum, prius explicans et illuſtrans, huic parum reſpondet, ſi illa lectio tenetur. Sed *οἱ ὁ* aptiſſimam habent lectionem, quam nemo niſi valde moroſus receptae lectionis defenſor repudiabit. Nempe legerunt בְּרִכְבֶךָ vertunt enim *ἐν τοῖς ἅρμασίν σου in curribus tuis.* Codex quidem Vaticanus habet: *ἐν τοῖς ἁμαρτήμασί σου*, lectione vero ſine dubio vitioſa, ex priori per ſcribarum errorem orta. Neque conſenſus Syri et Chaldaei interpretis cum lectione textus hebraei me movere potuerunt, ut illam Graecorum lectionem contemnerem.

ad Cap. XI, 2.] מִפְּנֵיהֶם quod eſt in textu hebraeo *οἱ ὁ* diviſim legerunt מִפָּנַי הֵם, verterunt enim: *ἀπῴχοντο ἐκ προσώπου μου. αὐτοὶ τοῖς Βααλὶμ ἔθυον.* De Syro non liquet, num omnino affixum legerit, ſic enim habet: אֶזַלוּ מֶן קֳדָמַי וְלְבַעלָא דַבַּחוּ
Sed Chaldaeus et Vulgatus ut unam vocem legerunt: *vocaverunt eos, ſic abierunt a facie eorum.* Priorem lectionem praeferendam putavi, propter ſequens membrum.

ad verſ. 4.] In ſecundo membro hujus verſus pro plurali בְּמְרִימֵי putem legendum eſſe in ſingulari בְּמְרִים

כְּמְרִים Sic Syrus, Chaldaeus et Vulgatus. Phraſis הֵרִים עַל ſumta eſt ab agricola, qui allevat jugum bobus, aut frena in eorum maxillis relaxat, uti Jonathan comparationem explicat — — Tertii membri duplex dari poteſt explicatio. *Vel*, ut lectio textus hebraei ſervetur: וְאַט אֵלָיו אוֹכִיל *inclinavi ad eos cibum.* Sic propheta eleganter tropum, quo antea uſus fuerat, continuat: *Laxavi eis jugum atque effeci ut pabulum liberius capere poſſint* — — *Vel*, ut lectionem τῶν ὁ ſequamur: *καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτὸν, δυνήσομαι αὐτῷ*, quae, quod verſio facile oſtendit, haec fuit: וְאַט אֵלָיו אוּכַל לוֹ. Removet haec lectio difficultatem haud levem, quae eſt in ſequentis membri prima voce לֹא יָשׁוּב אֶל־אֶרֶץ מִצְרַיִם haec enim contradicere videtur verſ. 1. hujus Capitis et ſexto noni Capitis, atque ex hiſtoria etiam conſtat multos Judaeos in Aegyptum aufugiſſe. Praeterea haec lectio aptum oſtendit nexum hujus verſus cum ſequenti. Propterea quoque ego in priori hujus libelli editione eam ſum ſecutus. Attamen quoniam lectio recepta etiam explicationem admittit priori hujus verſus membro inprimis aptam, et Syrus, Chaldaeus et Vulgatus eam habuerunt, in nova hac editione eam in verſione expreſſi. Sentio quidem quasdam difficultates, quibus premitur, verum illa quoque ſuis non caret. In particula vero לֹא haereo adhuc. Mutatio ejus in לוֹ nititur tantum auctoritate τῶν ὁ et Arabis. Syrus,

 Chal-

Chaldaeus et Vulgatus legerunt לֹא. Sed haec negatio pugnare videtur, uti jam dixi, cum aliis noſtri prophetae aliorumque locis, in quibus Deus reditum in Aegyptum poenae loco minatur, qualis etiam fuit, uti ex hiſtoria Jeremiae conſtat. *Grotii* explicationem: *Jam non ultra recurret ad Aegyptum opis cauſa ut antehac fecit*, coactam puto et hiſtoriae contrariam. Qui veriora afferet, eum lubenter audiam.

ad verſ. 6.] Pro וְאָכְלָה *οἱ ὁ* et Syrus legerunt וְאָכְלוּ idque cum ſequenti מִמֹּועֲצוֹתֵיהֶם junxerunt. Sane melius.

ad Cap. XII, 5.] Pro עִמָּנוּ *nobiscum*, legendum eſt עִמּוֹ *cum eo*, quod ex praecedenti commate patet, *Bethele eum invenit.* Ita etiam legerunt *οἱ ὁ* et Syrus.

ad verſ. 6.] Graeci interpretes et Syrus poſterius יְהוָה in ſuis codicibus non habuerunt, ſed pro eo vel יהיה vel היה legerunt. Illi quidem vertunt: *ὁ δὲ Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ἔσαι μνημόσυνον αὐτοῦ*: hic: *et Dominus Deus potentiſſimus recordatus eſt ejus* — — Videtur vero propheta innuere nomen יִשְׂרָאֵל quod Jacobo in illo cum angelo certamine impoſitum fuit: quem ſenſum in verſione indicavi.

ad verſ. 9.] In textu hebraeo verba כָּל־יְגִיעַי a praecedentibus מָצָאתִי אוֹן לִי per diſtinctionem ma-

majorem ſepatantur. Sed non aeque commode cum ſequentibus ae cum illis junguntur. Probant iſti homines injuſti et fraudatores innocentiam ſuam ex felici laborum ſuorum ſucceſſu, quem Deus eis non ſit conceſſurus; ſi iniquitatis aut peccatorum rei eſſent. Ad has calumnias reſpondet Deus verſu 10. et 11; qui propterea non poſſunt, uti interpretibus nonnullis videtur; promiſſionem continere.

ad Cap. XIII; 5.] Lectio recepta habet: אֲנִי יְדַעְתִּיךָ quam, quia explicationem admittit haud difficilem, in priori libelli editione retinui et verti: *ego curam veſtrum habui in deſerto ſingularem.* Sed jam magis placet lectio τῶν ό, Syri et Chaldaei, quae contexto ſermoni aptior eſt. Illi nempe vertunt: ἐγὼ ἐποίμανόν σε ἐν ἐρήμῳ. Hic eodem modo: *ego pavi te in deſerto*, et Chaldaeus: אֲנָא סוֹפְקִית צָרְכֵיכוֹן *ego ſuppeditavi neceſſaria veſtra.* (Obiter obſervo in Polyglottis Anglicanis et in Buxtorfii Bibl. Rabb. vitioſe legi צוֹרְכֵיהוֹן ſed recte adducitur locus a Buxtorfio in Lexico Rabb. ſub voce ספק) Plane apparet hos interpretes legiſſe pro יְדַעְתִּיךָ, רְעִיתִיךָ Senſus idem eſt, ſed tropus in verbo *paſcere* tum ſequenti בַּמִּדְבָּר aptior, tum prima vox ſequentis verſus כְּמַרְעִיתָם innuit prophetam verbo illo tropico uſum fuiſſe.

ad Cap. XIV, 3.] Pro פָּרִים legendum eſſe פְּרִי tum neceſſaria ejus cum ſequenti voce conjunctio pro-

 bat,

bat, tum teſtimonia antiquiorum interpretum. Οἱ ό, *καρπὸν χειλέων*, aliis punctis ſubjectis legerunt פְּרִי Idem illud Syrus legiſſe videtur, quanquam pluralem in ſua verſione adhibuit. Vulgatus habet: *vitulos labiorum noſtrorum*, atque eandem lectionem Chaldaeus paraphraſi ſua expreſſit.

ad verſ. 8.] Pro יֹשְׁבֵי legerunt וְיָשֻׁבוּ *οἱ ό*, Syrus, Arabs et Chaldaeus. Tantum Vulgatus vertit: *convertentur ſedentes in umbra ejus*, et Syrus paſſive vertit: נִתְבְּנוּן *aedificabuntur* — — *Revertentur et ſedebunt*, poteſt vel ex Idiotiſmo verbi שׁוּב explicari: *iterum ſedebunt*, vel de reditu ex captivitate intelligi, utroque modo ſenſus non magnopere differt. Sed difficultas eſt in affixo vocis בְּצִלּוֹ ad quodnam ſubjectum illud ſit referendum? Proximum eſt *Libanus*, qui fortaſſe ut tractus Palaeſtinae amoeniſſimus, de quo etiam propheta reliquas imagines deſumſit, pro tota terra, eaque fertiliſſima et inſtar horti amoeniſſima, dictus eſt. Sive, umbra poſita eſt h. l. pro ſede aut domo cujusque, in qua umbra fruitur; tunc ſenſus eſſet: reduces iterum domos ſuas habitabunt, ſecuri earum umbram captantes, uti eſt apud Micham Cap. IV, 4: quisque ſub vite et ficu ſua ſedebit.

ad verſ. 9.] Pro עָנִיתִי *οἱ ό* et Syrus legerunt עִנִּיתִי *ἐγὼ ἐταπείνωσα αὐτὸν*, *ego afflixi eum.* Melius, uti arbitror; ita enim pulchra eſt oppoſitio ad ſequentem promiſſionem: וַאֲשׁוּרֶנּוּ אֲנִי Nam אֲנִי non

non cum ſequentibus lego, quanquam accentus jubent, nam male ita cohaeret. Sed verbo primae perſonae pronomen perſonale additur pleonaſtice, ſive, ſi malis cum *Schultenſio*, emphatice: *curabo eum, Ego.* De quo Idiotiſmo vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 148. edit. novae a me curatae.

NOTAE CRITICAE IN JOELEM

Ad Cap. II, 23.] Pro מוֹרֶה לִצְדָקָה *οἱ ὁ* vertunt: *ἔδωκεν ὑμῖν τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην*, ſic etiam Arabs: *cibos ad ſufficientiam* et Syrus: דְיָהֵב לְכוֹן מֵאכוּלְתָא דְזָדִיקוּתָא *qui dat vobis cibum juſtitiae* h. e. largam, copioſam. Dubitari non poteſt, quin hi interpretes pro מוֹרֶה legerint בִּרְיָה *cibus*, quod vocabulum ter extat 2 Sam. XIII, 5. 7. 10. Receptam lectionem habent Symmachus: *τὸν ὑποδεικνύοντα*, *monſtrantem* h. e. doctorem. Vulgatus: *quia dedit vobis doctorem juſtitiae*, et Chaldaeus, qui quoque de perſona, quae promittatur, locum intellexit. Sed perquam inepte et contra orationem contextam hi interpretes vocabulum מֹרֶה ex ſignificatione verbi in Hiphil derivarunt. — — Verum enim

vero neque altera ejus ſignificatio, qua *pluviam autumnalem* notat, huic loco apta eſt, quoniam in ſequenti membro iterum promittitur; quod tautologiam induceret non excuſandam. Igitur non dubitem, quin lectio τῶν ὁ, Syri et Arabis recepta ſit praeferenda, quae aptiſſimum ſenſum fundit. Sic enim primo indicatur beneficium ipſum, quod Deus dare velit, deinde modus quo illud ſit largiturus. A pluvia vero autumnali (מוֹרֶה) et verna (מַלְקוֹשׁ) Palaeſtinam fertilitatem ſuam et largae meſſis ſpem tantum habuiſſe, res eſt in vulgus nota. —— Paucis tantum obſervo, κριτικώτατον illum *Hubigantium* diverſae hujus lectionis ne verbo quidem mentionem feciſſe. Poſuit et ipſe *doctorem juſtitiae* in verſione ſua, et vel Ezechielem, vel Jeſaiam intelligi poſſe exiſtimat. Concedit de Meſſia verba non poſſe accipi propter ſequentes promiſſiones temporales: propter quas alteram explicationem de pluvia larga et copioſa fere meliorem judicat.

NOTAE CRITICAE IN AMOSVM

Ad Cap. IV, 3.] Ante פַּרָצִים ſupplendum eſt ב quod omnes antiqui interpretes legerunt. Videtur ante literam ejusdem organi excidiſſe. ibid-

ibid.] Parum accuratę puncta vocalia verbo וְהִשְׁלַכְתֶּנָה ſubjecta ſunt. Habet formam conjugationis Hiphil, quae tamen contextui non convenit. Admodum coacta eſt explicatio atque adeo falſa, qua vulgo lectio recepta defenditur: *abjicietis opes veſtras in palatia:* ut alia taceam, הַרְמוֹנָה non eſt *palatium*, ſed אַרְמוֹן Illud vero *Armeniam* ſignificat, in quam Iſraëlitae ab Aſſyriis captivi abducti ſunt 2 Reg. XVII, 23. cf. *Bochartus* in Phaleg Lib. I. Cap. 3. Legendum igitur eſt in Conjugatione paſſiva, quam omnes verſiones antiquae exprimunt: הָשְׁלַכְתֶּנָה *projiciemini.*

ad verſ. 5.] In textu hebraeo eſt: קַטֵּר מֵחָמֵץ תּוֹדָה ſacrificia euchariſtica offerte *ex fermento.* Equidem non ignoro, verba haec vulgo explicari ex lege Levit. VII, 12. 13. in qua uſus aliquis fermenti, hujus generis ſacrificiis conceditur. Sed, fateor, lectionem Chaldaei interpretis, qui pro מחמץ legit מחמס mihi praeplacere. Allocutus fuerat propheta verſ. 1. homines injuſtos alios opprimentes, cum iisdem in hoc quoque verſu loquitur. Quid aptius erat his dicere? *ſacrificate euchariſtica cum fermento;* an? *ſacrificate euchariſtica ex rapinis.* Amat quoque propheta hunc dicendi modum. Supra Cap. II, 3. adfuit: vinum oppreſſorum III, 10. theſauri violentiae et caet. — Graeci interpretes h. l. in ſuo Codice habuerunt literarum confuſionem admodum alienam; vertunt enim: *καὶ ἀνέγνωσαν ἔξω νόμον.* Sed Syrus exprimit lectio-

nem textus hebraei receptam : *offerte de fermentato gratiarum actionem.* Dignum hoc obſervatu videtur, quoniam ex hoc et ſimilibus locis plane conſtat, Syriacam verſionem prophetarum minorum neque ex graeca verſione, neque ex chaldaica, ſed ex textu hebraeo factam eſſe. Quantum vero hujus generis obſervationes faciant ad juſtum pretium ſtatuendum verſionibus antiquis et ſingulis earum partibus, norunt artis criticae periti.

ad verſ. 10.) Vau ante בְּאַפְּכֶם prorſus otioſum eſt et omitti debet, nec ab antiquis interpretibus lectum.

ad Cap. V, 6.] Pro לְבֵית־אֵל ſine dubio legendum eſt לְבֵית יִשְׂרָאֵל. Ita legerunt οἱ ό et parallelismus membrorum hanc lectionem confirmat. Elegans eſt conjectura Celeberrimi *Venemae* ad Jeremiam pag. 936, ortam eſſe hanc lectionem ex compendioſa ſcriptione, cujus generis exempla plura attulit in Commentario ad Pſalmos Tom. I. pag. 210. Majorem haberet in hoc quidem loco haec conjectura probabilitatem, ſi duarum vocum per compendium ſcriptarum in ipſius vocis abbreviatae initio indicia exſtarent, ut in plerisque exemplis l. c. allatis.

ad verſ. 8.] Ante עֹשֵׂה omiſſum videtur דִּרְשׁוּ quod praecedit et repeti debebat, ſed eandem ob cauſam eo facilius a ſcriba omitti potuit. Alias enim עֹשֵׂה non habet verbum, quocum conſtruatur. Chaldaeus

daeus interpres ſine dubio bis legit הַנִּיחוּ Vertit enim verſ. 7. — — *et juſtitiam in terram projiciunt*, verſ. 8. *Deſierunt timere eum qui fecit*, et rel. Syrus alterum הַנִּיחוּ quod verſum 8 incipere debebat, legit; alterum, in quo verſus 7 deſinit, non legit: ita enim habet verſ. 7: *quod judicium vertunt in abſinthium, juſtitiam in terram:* verſ. 8: שְׁבָקוּ לְמַן דַעְבַד כִּימָא *reliquerunt eum qui fecit*, et caet.

ibid.] Pro לַיְלָה legendum videtur לְלַיְלָה Sic Codex *Lilienthalii* poſterior, Daventr. Chaldaeus et Syrus. Cf. S. R. *Lilienthalius* l. c.

ad Cap. VI, 1. Pro הַשַּׁאֲנַנִּים *οἱ ὁ* et Syrus legerunt הַשָּׁאטִים *contemnentes* a שׁוּט Ita enim illi: *οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι Σιών*: atque hic eodem illo vocabulo uſus eſt: וַי לְדָשְׁיְטִין Quam lectionem etiam argumentum capitis confirmat, quod totum de regno Iſraëlitico agit. Erat vero perpetua aemulatio inter utrumque regnum, atque illud ſub Jerobeamo ſecundo inprimis florebat.

ad verſ. 2.] Secundum puncta hebraica haec verba interrogative ſunt accipienda: an meliora regnis iſtis, ſcilicet, regnis Juda et Iſraël, ſunt regna illa? ellipſi, quod omnes intelligunt, et praeterea enallage perſonarum admodum dura, nam in ſequenti commate eſt ſecunda perſona. Graeci interpretes et Syrus ה illud, non ut interrogativum, ſed ut He articuli legerunt, quos in verſione ſecutus ſum.

 ad

Google

ad Cap. VII, 1.] Significatio participii Benoni יוֹצֵר quod in textu hebraeo legitur, parum apta eſt; *οἱ ό*, Syrus et Chaldaeus ut ſubſtantivum vertunt: ecce creatio locuſtarum. Quem ſignificatum etiam res ipſa poſtulat, et nihil repugnat, quin nomen hujus formae in uſu fuerit.

ad verſ. 2.] In textu hebraeo eſt מִי יָקוּם *quomodo reſiſtere poterit?* Sed *οἱ ό*, Symmachus et Syrus legerunt לִי יָקִים *quis reſtituet?* Melius, propter ſequentia, ubi eadem lectio verſ. 5.

ad Cap. VIII, 14.] Loco דֶּרֶךְ quod in textu hebraeo legitur, *οἱ ό* אֱלֹהֶיךָ legerunt: *καὶ ζῇ ὁ Θεός σου Βηρσαβεὲ*, quae lectio propter membrum praecedens praeferenda videtur. Jurant primo per *Deum Danis*, h. e. per alterum iſtum vitulum, qui ibi colebatur; quid igitur deinde per *viam Berſebae* jurant? cur cultus iſte idololatricus alterius vituli *via Berſebae* dictus ſit?

NOTAE CRITICAE
IN
MICHAM

Ad Cap. I, 5.] Loco בָּמוֹת legendum eſt ſine dubio חַטַּאת Repetit enim propheta eadem vocabula, quibus

bus in priori membro uſus fuerat, cui poſterius manifeſte reſpondet. Ita etiam antiquiores interpretes omnes legerunt, Graeci, Syrus, Chaldaeus. Vulgatus tantum habet: *excelſa Judae*.

ad verſ. 7.] Pro קִבָּצָה legendum videtur קִבְּצוּ uti in membro ſequenti, quod huic reſpondet, legitur יָשׁוּבוּ Numerum pluralem exprimunt etiam verſiones antiquae omnes τῶν ό, Syri, Chaldaei, Vulgati. Poteſt tamen recepta lectio defendi, ſi ad nomen Samariae in verſ. 6. refertur: *collegit*, ſc. Samaria, iſta omnia *ex mercede meretricia, in eam etiam abibunt.*

ad Cap. II, 4.] Difficultates hujus verſus, in quibus interpretes valde laborant, feliciter, uti videtur, ſuperantur varia lectione unius voculae obſervata. Nam quod ad prius membrum attinet, ſatis plana eſt explicatio *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. Is poſt נָהָה נְהִי *lamentabitur lamentum* diſtinctionem ponit, quam ſequitur formula hujus lamenti, in qua אָמַר et יָמִיר impersonaliter accipiuntur: Factum eſt, dicet aliquis, ſ. dicetur, vaſtando vaſtati ſumus, agrum populi mei tranſtulit aliquis ſ. hoſtis. Hunc ſenſum in verſione verbis magis latinis expreſſi. At enim vero in membro poſteriori pro אֵיךְ ex auctoritate Graecae et Syriacae verſionis legere malim אֵין *non eſt qui* et rel. יָמִישׁ intranſitive accipio et cum לְשׁוֹבֵב conſtruo. Non obſtat לִי interpoſitum; hoc enim ex uſu linguae ſaepe pleonaſtice poni, ſupra obſervatum eſt ad Hoſ. XIV, 9.

ad

ad verſ. 7.] Pro הָאָמוּר *οἱ ό*, Aquila, Vulgatus et Chaldaeus legerunt אֹמֵר *dicit domus Jacob* : quam lectionem recepta meliorem eſſe, nemo negabit.

ad verſ. 12.] Recepta lectio habet בָּצְרָה quod nomen eſt urbis Moabiticae, quam paſcuis maxime dicunt abundaſſe. Sed Chaldaeus et *οἱ ό* aliis punctis ſubjectis legerunt בְּצָרָה quam lectionem commendat et tantum non probat ſequens membrum : *ut gregem in caula ſua.*

ad Cap. III, 3.] Pro כַּאֲשֶׁר *οἱ ό* et Chaldaeus literis transpoſitis legerunt כִּשְׁאָר cui lectioni parallelismus ſequentis membri favet.

ad Cap. IV, 8.] Antiqui interpretes omnes עֹפֶל neque ut nomen proprium verterunt, neque legerunt per ע ſed per א, vertunt enim *οἱ ό αὐχμώδης*, Aquila *σκοτώδης*, Symmachus *ἀπόκρυφος*, Vulgatus *nebuloſa*, Chaldaeus, *abſconditus*, qui ſub turre ipſum Meſſiam intelligit, ita enim verba hebraea explicat : *Tu autem, Meſſia Iſraëlis, qui abſconditus es propter peccata coetus Sionis, tibi venturum eſt regnum.* Syrus utrumque vocabulum עֵדֶר et עֹפֶל aliter legit : *tu vero turris* רָעְיָא עַמוּטָא *depaſta et obſcura filiae Sionis.* Atque hi quidem עֹפֶל ad *turrem Eder*, illi ad *filiam Sionis* referunt. Rectius videtur, ſi de turre accipiatur, et quidem tropice, *ignobilis*, *minus celebris.* Nam cum ſub turre Ader ex conſenſu omnium interpretum *Bethlehem*

Digitized by Google

lehem, cui haec turris vicina fuit, intelligatur, conditio tenuis et humilis hujus urbis indicatur, ut Cap. V, 1. in qua Meſſias naſci debebat.

ad verſ. 13.] Pro וְהַחֲרַמְתִּי *devovebo*, omnes interpretes antiqui in ſecunda perſona legerunt *devovebis*. Vitium tantum eſt in punctis, non in literis. Jod enim in fine ſecundae perſonae foeminini generis Hebraeis aeque in uſu fuiſſe ac Syris, perquam multa exempla apud Jeremiam, Ezechielem et alios occurrentia docent; igitur Schva, non Chirek ſub Thau ponatur.

ad verſ. 14.] Alloquitur propheta per Apoſtrophen Babylonem, quae non ſolum terram Judaicam, ſed et multas alias everterat et deſtruxerat. Phraſin, *percutere virga maxillam*, explicandam puto ex Pſ. III, 8; ſubjecto tamen, de quo ſermo eſt, convenienter, nam in illo Pſalmi loco de Deo dicitur, vires hoſtium Davidis infringente. Fortaſſe pro ſingulari אֵת שֹׁפֵט יִשְׂרָאֵל legendum eſt in plurali אֵת שֹׁפְטֵי יִשְׂרָאֵל errore ſcribarum ſaepe commiſſo, quo alterutram literam alia ſimili vel praecedente vel ſequente omittebant; *οἱ ό* quidem et Chaldaeus pluralem legerunt, atque illi praeterea literas ſimiles Bet et Pe confuſas habuerunt, vertunt enim: *τὰς φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ*. Receptam vero lectionem *τοῦ* שפט phraſi *percutere maxillam* melius convenire quam *τοῦ* שֵׁבֶט nemo negabit.

ad

ad Cap. VI, 7.] LXX interpretes verba hebraea בְּרִבְבוֹת נַחֲלֵי שָׁמֶן vertunt: ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων, ita et Vulgatus: *in multis millibus hircorum pinguium*, legentes, uti recte *Hubigantius* conjectat רְחֵלֵי Si modo ipſa eorum lectio ſana eſt, nec potius legendum χειμάῤῥους, uti ſemper נחלי vertunt, רחל vero alias per πρόβατον, ἀμνός. Habet fortaſſe quo ſe lectio haec commendet Criticis, quos dictio hyperbolica verborum hebraeorum offendat. Sed ſine cauſa. Nam et Job. XX, 17. ſimili figura *flumina mellis et cremoris* dicuntur, et (quod inprimis receptam lectionem confirmat) populus loquens ſecundum illam τῶν ό lectionem parum apte quater ſacrificiorum meminit. Melius ſane et *oleum* offert, cujus uſus in ſacris eorum etiam frequens erat et copioſus, Levit. II, 6. 7.

ad Cap. VII, 3.] Ante לְהֵיטִיב excidit לא quod Chaldaeus et Syrus legerunt.

ad verſ. 4.] Legendum videtur יְשָׁרָם ut reſpondeat τῷ טוֹבָם Ita etiam Chaldaeus legit. Excidit מ propter מ ſequens.

NOTAE CRITICAE
IN
NAHVMVM

Ad Cap. I, 6.] LXX interpretes נִתְּכָה vertunt τή-

τήκει liquat. Recte ex mea quidem ſententia. Hoc enim bene convenit ſequenti vocabulo כָּאֵשׁ *ſicuti ignis*, qui *liquare* ſ. *ſolvere* ſolet obvia, non, *effundi.* Syrus interpres ſine dubio eandem ob cauſam verbo uſus eſt, quod res ipſa, requirit יִקְדָּא *ardet.* Utrum vero *οἱ ὁ* Conjugationi Niphal ſignificationem *τοῦ* Hiphil tribuerint, an התיכה legerint, incertum eſt.

ad verſ. 8.] Secutus ſum in verſione lectionem graecorum interpretum, qui quidem et ipſi paullulum inter ſe diſſentiunt, ſed omnes, Symmacho excepto, diverſam a recepta produnt lectionem. Adſcribam quae *Hieronymus* de illis habet, qui omnes diligenter recenſuit: „ Verbum *Macoma*, quod nos interpretati ſu„mus *loci ejus*, omnes in duas orationis partes diviſe„runt; ut *Ma* in praepoſitionem *de* verterent i. e. *ἀπὸ*, „ *Coma* ſurgentes interpretarentur. Denique *Aquila*, „ *ἀπὸ ἀνιςαμένων* inquit, i. e. a conſurgentibus, LXX „ *conſurgentes*, Theodotio *conſurgentibus ei.* Quinta „ Editio, *a conſurgentibus illi.* Solus Symmachus, cum „ noſtra interpretatione conſentiens ait: *et in diluvio prae*„ *tereunte conſummationem faciet loci ejus.*„ Haec *Hieronymus.* Quibus addimus Syrum interpretem, conſentientem quidem in lectione *τοῦ* מקומה ſed in reliquis longe a textu hebraeo diſcedentem, ita enim habet: וְבַגְרוּפְיָא עֲבֵד גְמוּרְיָא נֵעְבַר לַאתְרֵה *et in ſ.* per *inundationem faciet conſummationem, tranſibit ad locum ejus;* et tandem Chaldaeum, cujus lectio minime omittenda

tenda videtur : — — *exterminationem faciet cum gentibus, quae inſurrexerunt et vaſtaverunt aedem ſanctuarii Domini* — — Haud obſcure intelligitur eum legiſſe לְמְקִימִים לִמְקוֹמָה Affixum igitur, non foeminini generis, quod in textu legitur, ſed maſculini generis legit, quod etiam Theodotio, Quinta, Syrus legerunt et ad Deum retulerunt. Recte, uti arbitror. Nam affixum foeminini generis non admittit commodam explicationem. Quid enim? Deusne *loco* Ninives, in quo exſtructa eſt, faciet conſummationem, non ipſi Ninive?. Si de urbe affixum eſt accipiendum, quod volunt omnes interpretes, dicendum fuiſſet : faciet conſummationem לַמָּקוֹם הַזֶּה — — Nec tamen Chaldaei interpretis lectionem omni ex parte probare poſſum. Dubito enim, an מקום *κατ᾽ ἐξοχὴν* de templo Dei dictum alibi extet. Secundum paralleliſmum membrorum legendum eſt מְקִימָיו ſive לִמְקִימָיו quam veram lectionem exhibent etiam Theodotio et Quinta; fortaſſe etiam *οἱ ὁ*, qui affixum propterea omiſiſſe videntur, quia מקימיו cum ſequenti אוֹיְבָיו conjunctim legerunt.

ad verſ. 10.] Quoniam verba hebraea כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים ex meo quidem ſenſu non admittunt explicationem probabilem, ſecutus ſum lectionem, quam LXX interpretes ſua verſione ſubindicant : *ὅτι ἕως θεμελίου αὐτοῦ χερσωθήσεται.* Legerunt igitur ſine dubio : כִּי עַד יְסוֹדָיו בְּסִחִים Magna quae eſt inter

ter utramque lectionem in literis convenientia oſtendit varietatis originem; atque ſenſus facilitas, quam graecorum interpretum lectio offert, hanc prae recepta textus hebraei commendat —— Temulentiam, de qua alterum membrum loquitur, de gravitate judicii divini intelligo, quae ſub illo tropo ſaepe a propheris deſcribitur.

ad Cap. II, 14.] In textu hebraeo legitur רִכְבָּהּ *currum ejus*. Mutationem perſonae ab hoc contextu alienam non habent antiqui interpretes. Sed *currus* praeterea parum apti ſunt allegoriae, qua propheta inde a verſ. 12. utitur. *Οἱ ὁ* quidem, vertentes *ἐκκαύσω ἐν καπνῷ τὸ πλῆθός σου*, רֻבְבֵךְ legiſſe videntur, atque idem aut ſimile quid Syrus, qui habet: *perdam fumo turmas tuas*. Sed haec quoque lectio aeque ac illa incommoda eſt. Propterea mihi temperare non potui, quin reciperem in verſionem *Hubigantii* conjecturam, ſubſtituentis מֶרְכָּבֵךְ quod praeter *currum* etiam *ſedile* ſignificat, adeoque pro ſubjecti ratione *cubile* ſ. *luſtrum leonis* — — Praeterea miror nullum interpretem ad generis mutationem haeſitare; quod in ultimo verſu foemininum eſt, cum maſculino uſus ſit propheta in praecedentibus et manifeſte unum idemque ſubjectum intendatur. Legi poſſunt verba ſine ulla literarum mutatione in genere maſculino.

ibid.] Verba textus habent: קוֹל מַלְאָכֵכֵה *vox legati ejus*. Sed *οἱ ὁ* et Syrus legerunt מַלְאָכְתֵיךְ Illi enim vertunt: non amplius audientur *τὰ ἔργα σου*.

O Hic

Hic vero: קֹלא דְעבֹדַיכי *rumor facinorum tuorum:* quos in verſione ſecutus ſum.

NOTAE CRITICAE
IN
HABACVCUM

Ad Cap. I, 5.] In lectione et explicatione verborum hebraeorum רְאוּ בַגּוֹיִם magnus eſt diſſenſus interpretum. De Graecis haec habet *Hieronymus:* „Ubi in Hebraico ſcriptum eſt *Rau Baggoim*, et nos „transtulimus, *aſpicite in gentibus*, LXX poſuerunt, *vi-„dete contemtores*, excepto Aquila, Symmacho et Theo-„dotione, qui cum noſtra interpretatione concordant. „In alia quadam editione habetur, *videbitis calumnia-„tores*, et in alia pariter absque auctoris titulo, *videbitis „declinantes.*„ His addo Syrum interpretem, qui habet חְזוֹ מָרִחָא *videte transgreſſores*, et Arabem *videte arrogantes*, qui eodem vocabulo, quod Cap. II, 4. in hebraeo legitur, עפלים uſus eſt. Chaldaeus tandem cum illis ab Hieronymo citatis conſentit: *videte gentes.* Hinc omnes, qui illas verſiones a vulgari verborum hebraeorum ſignificatione diſcedentes recenſent, earum auctores aliter legiſſe dicunt, nempe pro בַגּוֹיִם, בוֹגְדִים aut בוֹזִים Aliter vero ſentit *Pocockius* in notis miſcell. ad portam Moſis pag. 29, lectionem hebraeam cum illa

illa graecorum interpretum verſione concilians. Nempe Beth in בגוים dicit eſſe radicale ab arabico verbo בעא *injuſtus, injurius fuit*, hinc nomen בָגא; cujus pluralis igitur בַגוֹים idem ſignificet, quod graecae verſionis *καταφρονηταὶ*, *inſolentes*, *ſuperbos*. At enim vero fortaſſe haec conciliatio aliis aeque ac mihi nimis quaeſita videatur. Contextus hanc vocabuli בַגוֹים ſignificationem requirit. Alloquitur enim propheta iſtos quos deſcripſerat homines impios, eisque judicium divinum imminens praedicit. Propterea eam quoque in verſione poſui. Lectores eam approbent ſive ex ratione philologica a *Pocockio* allata, ſive ex teſtimoniis antiquiorum interpretum citatis.

ad verſ. 9.] Verba textus מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה ſunt perquam difficilia, partim propter vocabulum *ἅπαξ λεγόμενον* מְגַמָּה partim quod non apparet, quo ſenſu dicantur facies Chaldaeorum directae verſus Orientem. Sed eſt diſſenſus in verſione horum verborum apud antiquos interpretes, quem ſilentio non poſſum praeterire. Nempe Chaldaeus habet: מְקַבֵּל אַפֵּיהוֹן דָמֵן כְּרוּחַ קָדִים קְרוּמָא *aſpectus eorum ſimilis eſt vento orientali vehementi.* Similiter Vulgatus: *Facies eorum ventus urens*, et Symmachus: *ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν ἄνεμος καύσων.* Videntur hi interpretes verbis hebraeis hunc ſenſum non propter lectionem a noſtra diverſam ſubjeciſſe, ſed propter difficultatem ſive obſcuritatem, quam in ver-

bis hebraeis deprehendebant. Quae ſuſpicio non iniqua, uti arbitror, retinet me, ut lectionem textus receptam in dubium vocem. Ex hac vero ille ſenſus, quanquam planus, facilis et contextui ſatis aptus eſt, non poteſt elici. Nam ה in קדימה eſt He, quod dicitur, locale, ſemper motum ad locum ſignificans. Exempla a quibusdam interpretibus allata, quae contrarium docere debent, aliena ſunt. Deinde קדים ſive קדם abſolute poſitum, nunquam dicitur de vento iſto peſtilentiali Orientis, qui ſemper רוּחַ הַקֶּדֶם vocatur. Quando igitur in recepta lectione acquieſcendum eſt, cum reliqui interpretes antiquiores, nempe *οἱ ό*, Syrus et Arabs hanc potius quam illam confirment, non videtur improbabilis ſententia *Kalinsky*, qui in l. c. pag. 166. invaſionem eam Aſſyriorum, quibus Chaldaei juncti erant, intelligit, qua Manaſſen cum multis Judaeis principibus captivos abduxerunt. — — Quod ad vocabulum מגמה attinet, forma nominis manifeſte prodit radicem mediae geminatae גמם, quae in lingua Arabica ſupereſt et de motu ſive impetu vehementiori dicitur. Cf. *Clodius* in Lexico Hebr. ſelecto, et *Schultens* in Commentario ad Prov. XIX, 2. — — Aliam attulit non contemnendam derivationem *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. ex lingua Syriaca, in qua גמם ſignificat *excidit*, *ſuccidit*, quod Eſ. XVI, 8. legitur ad חלם Hebraeorum exprimendum; hinc verba verti poſſent: Exciſio ſ. perditio faciei ipſorum, h. e.

quam

quam facie prae ſe ferunt ſ. minantur, orientem verſus tendit.

Ad Cap. II, 17.] Loco יְחִיתַן legendum videtur יְחִיתְךָ *te terrebit.* Sic *οἱ ό*, Syrus et Chaldaeus, et ſic reſpondet praecedenti יְכַסֶּךָ *teget te.*

ad Cap. III, 19.] לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹתָי Magnus eſt diſſenſus interpretum antiquiorum circa has voces, quae grammaticam interpretationem non admittunt; *οἱ ό* habent: *τοῦ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ*, ſic Arabs quoque. Syrus: *ut canam laudes ejus.* Hi igitur non videntur participium מְנַצֵּחַ legiſſe, ſed infinitivum, in ſubſtantivo vero non affixum primae ſed tertiae perſonae. Vulgatus alio modo connectit haec verba cum antecedentibus, ſed obſcure atque etiam a lectione recepta diverſe: *et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Chaldaeus tantum affixum primae perſonae in ultima voce expreſſit, ſeparavit vero eam quoad ſenſum a praecedenti: *Cujus* (Dei) *ſunt victoriae et virtutes: proinde coram eo ego fides pulſo cum hymno meo.* Ex quibus omnibus hoc apparet, 1) nullum horum interpretum habuiſſe haec verba pro ſubſcriptione ſ. inſcriptione carminis, 2) *τοὺς ό*, Syrum, Arabem non participium ſed infinitivum לְנַצֵּחַ legiſſe, 3) Affixum in ultima voce *τοὺς ό* et Syrum tertiae perſonae habuiſſe, Vulgatum ſine affixo, Chaldaeum primae, uti eſt in textu hebraeo — In tanta lectionis ambiguitate exiſtimavi optimum eſſe, ſi connectantur haec verba

 cum

cum antecedentibus, quoniam, ſi inſcriptio carminis eſſent, non in fine ſed initio ponendi fuiſſent, uti in Pſalmis. Tunc vero legendum eſt non in participio ſed in infinitivo לְנַצֵּחַ cui ſignificationem *laudandi* et *celebrandi* tribui, quam in L. Syriaca habet. Affixum vero primae perſonae contexto eſt aptiſſimum.

NOTAE CRITICAE IN ZEPHANIAM

Ad Cap. III, 17.] In textu hebraeo legitur יַחֲרִישׁ בְּאַהֲבָתוֹ *ſilebit in amore ejus*. Quae lectio non commodam admittit explicationem. Etenim ſi verbum ex parallelifmo membrorum ad Deum refertur, et ſubſtantivum ad populum, hoc cum affixo ſecundae perſonae legendum eſt, quod praecedit et ſequitur: *ſilebit*, h. e. ſecundum nonnullos, acquieſcet in amore *tuo*. Sed *οἱ ὁ* et Syrus loco יַחֲרִישׁ legerunt יְחַדֵּשׁ *καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ*, *innovabit te per amorem ſuum*. Quam lectionem receptae praeferendam eſſe, nemo negabit.

ad verſ. 18.] Non ſanam eſſe hujus verſus lectionem, haud obſcure produnt partim difficillimae et vix probabiles ejus explicationes, partim diſſenſus anti-

qui-

quiorum interpretum in lectione, ab ea quam nos ſequimur. Sed cum ne hi quidem conſentiant atque diverſas diverſorum Codicum lectiones indicare videantur, optio nobis, donec meliora et certiora ex hebraicis Codicibus afferantur, relicta eſt inter has quas credimus antiquiſſimis interpretum teſtimoniis. LXX quidem interpretes 1) pro מִמּוֹעֵד legerunt כְּמוֹעֵד idque cum ultimo praecedentis verſus commate junxerunt: *καὶ εὐφρανθήσεται ἐπὶ σὲ ἐν τέρψει ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς.* 2) Quid pro נוּגֵי et pro מִמֵּךְ legerint, prorſus incertum videtur. Ita apud eos incipit verſ. 18: *καὶ συνάξω τοὺς συντετριμμένους σου*, pro quo *Druſius* aliam lectionem citat, *διεσκορπισμένους.* 3) Pro הָיוּ legerunt הוֹי et pro מַשְׂאֵת, מָה נָשָׂא *οὐαί, τίς ἔλαβεν ἐπ' αὐτὴν ὀνειδισμόν.*

Ab hac longe diverſa eſt *Chaldaei* interpretis lectio, quae ita habet: *qui impediverunt in te tempora ſolennitatis tuae, expellam a te. Vae illis, quoniam portaverunt arma ſua contra te, et opprobriis te affecerunt.* 1) Pro נוּגֵי מִמּוֹעֵד videtur legiſſe הוֹגִים מוֹעֵד ab הגה *removit.* 2) Pro הָיוּ, הוֹי ut LXX interpretes. 3) Ultimo membro ſuam adjecit explicationem, quae non inepta videtur, cum ſane hic locus non ſolum reditum ex captivitate promittat, ſed etiam ulteriorem defenſionem Dei et liberationem a perſecutionibus et afflictionibus Syrorum plane admirandam.

Syrus interpres uti *οἱ ό* מִמּוֹעֵד junxit cum prae-

cedenti verſu, ita tamen, ut de populo explicet, quod ſecundum textum hebraeum de Deo dictum eſt: נוּגֵי et הָיוּ prorſus non legiſſe videtur: *et efficiet ut glorioſe geſtias, perinde ac in die ſolennitatis, et auferam a te eos, qui contumelioſe de te loquebantur. Hieronymus* teſtatur *Aquilam* in lectione vocis הוֹי pro הָיוּ cum *τοῖς ό* conſentire. Sed non videmus, cur hoc tantopere miretur. Id potius mirantur omnes linguae hebraeae periti, quomodo *Hieronymus* verſionem hujus verſus dare potuerit ſenſum non habentem, eamque annotatione illuſtrare, quae non adeo magnam linguae hebraeae notitiam prodit. Ita enim verſio ejus habet: *Nugas quae a lege receſſerunt congregabo, quae ex te erant, ut non ultra habeas ſuper eis opprobrium.* Cui verſioni lepidam hanc ſubjicit obſervationem: *) „Id „quod diximus *nugas*, ſciamus in hebraeo ipſum eſſe „latinum ſermonem, Nugae, et propterea a nobis ita, „ut in hebraeo erat, poſitum, ut noſſe poſſimus linguam „hebraicam omnium linguarum eſſe matricem, quod „non eſt hujus temporis differere ——" —— O bone

*) Ad haec Hieronymi verba recte intelligenda, ſciendum eſt, *nugas* latinis proprie eſſe cantiones in laudem mortuorum. Quam ſignificationem ſine dubio in animo habuit Hieronymus, cum haec ſcriberet, non alteram illam magis notam et uſitatiorem, qua de rebus levibus et ſcurrilibus dicitur. Verum etiam in eo errat Hieronymus, quod voci hebraeae נוּגֵי illam ſignificationem tribuit, quam neque ejus forma, neque verbum יָגָה a quo derivanda eſt, admittit.

ne Hieronyme ! nullius temporis eſt talia ſcribere. Sed valeant iſtae nugae. Hoc ſaltem, ſi nihil aliud, ex illis diſcimus, ne Hieronymum quidem omni ex parte cum lectione recepta conſentire. Cur enim ממועד vertit: *quae a lege receſſerunt?* pro מַשְׂאֵת ſine dubio legit מִשְׂאֵת quoniam vertit: *ut non ultra habeas* etc.—— Sed quorſum haec omnia? Nempe ut intelligamus, in lectione adeo varia eligendam eſſe ex pluribus eam, quae quam maxime probabilis videatur. Ego quidem expreſſi in verſione lectionem Chaldaei interpretis, paratus tamen ad eam mutandam, ſi alia melior aut certior ex hebraeis Codicibus afferatur.

ad verſ. 20.] Non mihi temperare poſſum, quin hoc loco *Hubigantii* temeritatem notem, textus correctionem tentantem; a qua ſibi cavere potuiſſet, niſi absque Grammaticae cognitione accurata Critici munus ſuſcepiſſet. Nempe offendit in Infinitivo קַבְּצִי poſt futurum אָבִיא cum tamen utrumque comma per copulam Vau connectatur. Igitur legendum ſtatuit קִבַּצְתִּי (cur non potius אֲקַבֵּץ? ut futurum futuro reſpondeat. Sed fortaſſe memoria fefellit Virum *κριτικώτατον*. Vertit enim illud קבצתי in futuro *congregabo.*) Sed ſanus eſt hic locus et ſexcenta alia hujus formae. Modo teneatur Idiotiſmus linguae hebraeae, quod Infinitivus verbo finito ſubjunctus ejusdem formae ſit, cujus praecedens tempus finitum, ſive praeteritum, ſive futurum. Cf. Celeberrimi *Schroederi* Inſtitutt. L. Hebr. p.

 352,

352, ſive quae ex eo ad *Glaſſii* Philol. S. annotavi p. 290. Perperam igitur *Hubigantius* ad correctiones ſuas probandas provocat ad interpretes antiquiores, qui ita legerint, uti ſuadet, quoniam verbum non in infinitivo ſed in tempore finito exprimant. Non potuerunt aliter vertere. Ex eo autem ad lectionis diverſitatem concludere, Critici eſt Grammaticae parum periti. Hujusmodi criſes temerarias *Hubigantius* exercet in omnibus locis huic noſtro ſimilibus; v. c. Haggaei I, 6. Zach. VII, 5. XII, 10. etc.

NOTAE CRITICAE
IN
HAGGAEVM

Ad Cap. I, 4.] In textu hebraeo legitur: הַעֵת לָכֶם אַתֶּם לָשֶׁבֶת Ad τὸ אַתֶּם haerent interpretes nonnulli et Critici recentiores, cum prorſus ſuperfluum ſit, nec ullus interpretum antiquiorum legiſſe illud videatur, atque tamen caſu quodam temerario textui inſertum eſſe parum probabile ſit. *Hubigantius* quidem mutare illud vult in אתה *venit*. Quod non placet. Si conjectura opus eſſet, malim legere עֵת *tempus* et conjungere cum ſequenti לָשֶׁבֶת Reſpondet enim propheta ad excuſationem populi in verſu ſecundo: לֹא עֶת בֹּא עֶת בֵּית יְהוָה לְהִבָּנוֹת — — Sed non opus eſt correctione. Sana ſunt omnia. Eſt Idiotiſmus, cu-

cujus obſervatio et aliis locis lucem affert. Solent nempe Hebraei in ſermone concitatiori repetere pronomen ejusdem perſonae quae praecedit. Cf. Gen. XXIV, 27. Deut. XVIII, 14. 1 Sam. XXV, 24. Pſ. IX, 7. et Zach. VII, 5. not. *b*) ubi plura de hoc Hebraiſmo dicta ſunt, et quae ad *Glaſſium* annotavi p. 148.

ad Cap. II, 6.] Commotionem caeli et terrae, de qua in hac pericopa a verſu 6-9. ſermo eſt, ego quidem cum Illuſtri *Michaëlis* explicandam putem de bellis Alexandri M. cum Perſis. Etenim haec ſententia cum aliis argumentis, tum inprimis ex verſibus 22, 23, 24. plane probatur, ubi propheta idem vaticinium tertio die poſt primam ejus promulgationem repetit. Cf. Viri Illuſtris Paraphraſis Epiſtolae ad Hebraeos, pag. 579 ſeqq. ubi ex inſtituto de hoc vaticinio diſſerit. Sed de verbis verſus 7. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם aliter ſentio. Explicat ea Vir Celeberrimus de donariis gentilium templo Hieroſolymitano illatis, quod etiam ab aliis factum eſt, cum Judaeis, tum Chriſtianis. At enim vero tantum abeſt, ut per rationes grammaticas probari non poſſe putem vulgariorem illam de Meſſia in hoc templo aliquando apparituro ſententiam, ut potius ita ſtatuam de ea quam Vir Celeberrimus defendit. Etenim quam movet difficultatem contra numerum pluralem verbi בָאוּ cui non conveniat nomen ſingularis numeri חֶמְדַּת haec quidem facile removetur, ſi in memoriam revocemus Grammaticorum obſervationem, quod in re-

gimine

Digitized by Google

gimine duorum ſubſtantivorum verbum in numero non. nunquam poſteriori reſpondeat, non priori, v. c. 2 Sam. X, 9. Job. XV, 20. Jeſ. XXV, 3. Sed haud ſcio, an Vir Celeberrimus aeque facile probare poſſit, verbum באו *venient* idem eſſe quod *afferentur*. Verbum בוא in Kal nunquam habet hanc ſignificationem. Semper Conjugatione Hiphil utuntur Hebraei ad notionem afferendi vel adducendi indicandam. Qui verbi uſus, cum tot ejus extent exempla, non poteſt in dubium vocari. Analogia praeterea linguarum Chaldaicae et Syriacae eum confirmat. Hinc etiam interpretes Chaldaeus et Syrus Conjugatione Aphel uſi ſunt ad eum ſenſum exprimendum. Vocatur vero Meſſias *deſiderium gentium*, h. e. ex Hebraiſmo *gentibus deſiderabilis et expectandus*, eodem ſenſu, quo a Jacobo Geneſ. XLIX, 10. *obedientia gentium* dicitur. Atque miror, Virum Celeberrimum hoc non vidiſſe (pag. 387.) cum *gentium commotionem* paullo ante (pag. 385.) explicaſſet de converſione gentilium ad religionem Judaicam, quae cum notitia Meſſiae Judaeis expectandi non poterat non eſſe conjuncta. Equidem fateor, verſum octavum favere explicationi de donariis templo inferendis, attamen eam non neceſſariam facit. Poſſunt enim illa verba ſic quoque accipi, ut Deus neget, ſibi in aede ſua ornamentis ex auro vel argento opus eſſe, (quemadmodum de ſacrificiis ſimile quid dixit Pſ. L, 10.) atque tamen vel illis ornamentis deficientibus majorem futurum eſſe poſterioris templi ſplendorem, quam prioris. Non contemnendum

dum argumentum pro hac explicatione ineſſe putem ultimis ejusdem verſus verbis: וּבַמָּקוֹם הַזֶּה אֶתֵּן שָׁלוֹם Conſtat enim ex hiſtoria, quantopere Judaei in iſtis bellis et regnorum everſionibus afflicti fuerint; ex quo ſatis probabiliter concluditur, propheram intelligere pacem, non tam corporalem, quam potius ſpiritùalem, a Meſſia omnis pacis et ſalutis auctore afferendam.

NOTAE CRITICAE
IN
ZACHARIAM

Ad Cap. II, 10.] Circa vocabulum כְּאַרְבַּע diſſenſus eſt, cum editionum, tum verſionum antiquorum. Editiones nonnullae, in Bibliis Halenſibus nominatae, habent בארבע, οἱ ὁ legerunt מֵאַרְבַּע ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων συνάξω ὑμᾶς. Chaldaeus, Syrus et Vulgatus, ut illae editiones, cum ב aut cum ל legerunt: *diſperſi vos in quatuor caeli ventos.* Mihi quidem lectio בארבע praeferenda videtur. Non puto, quod plerisque interpretibus placet, hoc comma de diſperſione Judaeorum in captivitate Babylonica agere, ſed promiſſionem continere exiſtimo, de dilatatione ſive propagatione Judaeorum per omnes mundi plagas ob inſignem eorum multitudinem, de qua jam in verſu octavo dictum eſt. Ut taceam, illam explicationem

non

non bene convenire mandato ipſi: fugite e terra *Septentrionis*, quoniam per *quatuor caeli regiones* vos diſperſeram. Melius ſic, ut de re futura, non de praeterita intelligantur: Fugite e terra Septentrionis, expandam vos per quatuor mundi plagas.

ad Cap. IV, 2.] In textu hebraeo legitur שִׁבְעָה . וְשִׁבְעָה ſed posterius videtur omittendum. Oἱ ὁ et Vulgatus non legerunt, ſed Syrus et Chaldaeus. Septem erant lampades, tres ad dextram, tres ad ſiniſtram, ſeptima in ſuperiori candelabri parte ſub ipſo olei receptaculo.

ad Cap. V, 1.] *Volumen evolutum.* Ita cum *Grotio* vertendum puto מְגִלָּה עָפָה non *volumen volans*, h. e. ex *Druſii* ſententia, celerrime terram pervadens. *Volans* dicitur hoc volumen, quod erat ἀναπτυσσόμενον. Nam volumina extra uſum erant complicata ſive convoluta. LXX interpretes loco מְגִלָּה legerunt vel מַגָּל vel cum He paragogico מַגָּלָה Vertunt enim δρέπανον πετόμενον *falcem volantem.* Sed non poteſt haec lectio probari, partim propter plures teſtes receptam lectionem confirmantes, nempe Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Chaldaeum, Syrum et Vulgatum; partim propter verſum quartum, in quo, adhibito genere foeminino, exponitur, quanta mala iſta מגלה illatura ſit toti terrae; quod utrumque lectioni receptae melius convenit, quam alteri illi verſionis graecae.

ad

ad verſ. 3.] Magno conſenſu antiquiores interpretes verbum נִקָּה quod hoc loco legitur, explicant de poena infligenda: οἱ ὁ, ἐκδικηθήσεται, Symmachus, δίκην δώσει, Chaldaeus, לְקֵי *plectitur*, Hieronymus, *judicabitur*. Et ſane totus contextus hanc verbi ſignificationem requirit. Sed non adeo certum videtur, quod illi interpretes pro נקה legerint נקם aut יִנָּקֵם. Fortaſſe verbum נקה ad ea verba referendum eſt, quae contrarias habent ſignificationes, ideoque cum *impunem eſſe*, tum *puniri* notat. Praeter hunc quidem locum haec ſignificatio etiam Jer. XXX, 11. XLVI, 28. aptiſſima eſt. Cf. *Druſius* ad h. l.

ad verſ. 4.] In verbo לָנָה He habetur pro paragogico. Sed rectius fortaſſe per Kamets ſcribendum לָנָה ut ſit tertia perſona foemini generis. Praecedit enim בָּאָה et utrumque ad אָלָה referendum.

ad verſ. 6.] In textu hebraeo legitur: זאת עֵינָם בְּכָל הָאָרֶץ Si obſervetur, quod עַיִן hoc loco *formam externam et viſibilem* ſignificat, uti alias v. c. Levit. XIII, 55. Num. XI, 7. Prov. XXIII, 31; non eſt, quod receptae lectioni eam praeferendam judicemus, quam οἱ ὁ et Syrus produnt. Illi nempe vertunt: αὕτη ἡ ἀδικία αὐτῶν ἐν πάσῃ τῇ γῇ. Hic: haec eſt menſura, quae egreditur, in qua continentur *culpae* totius terrae. Legerunt pro עֵינָם, עֲוֹנָם Sed ex lege mihi ſcripta a recepta lectione non recedendum putavi, cum haec explicationem admittat non improbabilem.

ad

ad verſ. 7.] Pro וְזֹאת legendum eſt ſine dubio חָנָה. Illud facile ex ſequenti linea in hanc venire potuit. LXX interpretes, Chaldaeus, Syrus, Arabs, Vulgatus legerunt הנה quod et contextus requirit.

ad Cap. VI, 7.] In textu hebraeo legitur אֲמֻצִּים *fortes*, qui in verſu tertio etiam בְּרֻדִּים vocabantur. Quoniam vero de his modo in verſu praecedenti dictum eſt, eos verſus auſtrum exiiſſe, legendum videtur אֲדֻמִּים quorum in verſu ſecundo mentio quidem facta eſt, ſed nondum in narratione *exitus* eorum. Neque tantum ex conjectura haec lectio affertur, ſed defendi etiam poteſt teſtimonio Syri interpretis, qui habet סומקא *rubri*, idem vocabulum, quo ſupra in verſu ſecundo אֲדֻמִּים verterat.

ad Cap. X, 2.] יַעֲנוּ quod hoc loco in textu hebraeo legitur, non eſſe in ſignificatione huic Conjugationi propria *reſpondendi*, ſed *affligendi*, quae Conjugationi Piel plerumque tribuitur, non ſolum contextus docet, ſed et verſiones antiquae omnes teſtantur. Neque tamen propterea neceſſarium eſt, ut puncta ſubjiciantur Conjugationis Piel, cum nec alia exempla deſint, ex quibus notio *affligendi* etiam Conjugationi Kal vindicari poſſit: v. c. Eccleſ. I, 13. III, 10. 2 Sam. XXII, 36. At loco Jod, Vau legendum eſſe וַעֲנוּ hoc quidem admodum probabile videtur. Nam praecedit praeteritum נָסְעוּ quod etiam verſiones antiquae omnes exprimunt, praeter Vulgatam, quae habet *affligentur*.

ad

ad Cap. XII, 2.] Verba textus ſunt admodum difficilia, non ſolum ſi de ſenſu, ſive de re ipſa, de qua ſermo ſit, quaeritur, ſed etiam ſi lectio et conſtructio verborum probanda ſit. Dicam tantum de poſteriori. Prius illud עַל habet inprimis difficultatem. Semper ſenſum impeditum reddit, quocunque modo explicetur. Propterea quoque in verſione a me eſt omiſſum, nec tamen auſim e textu delere. Legerunt idem על Syrus interpres et graeci, qui tamen et ב legiſſe videri poſſent, ſi ſingulas voces accurate expreſſerint; habent enim: καὶ ἐν τῇ Ιουδαίᾳ ἔσται περιοχὴ ἐπὶ Ἱερουσαλήμ. Vulgatus tantum hujus lectionis non habet indicium: *Sed et Juda erit in obſidione contra Jeruſalem.* Solvitur nodus, ſi dicatur על pleonaſtice poſitum eſſe, quod *Cappello* videbatur, ſed non ſuppetunt exempla, quae in tali quidem conſtructione hunc pleonaſmum probent. — — מָצוֹר omnes, quos quidem vidi, interpretes vertunt *obſidionem* praeter τοὺς ό, qui per περιοχὴν *munitionem* explicant. Recte, uti arbitror. Totus enim locus continet promiſſiones Judae aeque ac Hieroſolymae datas, quibus ſignificatio τοῦ מָצוֹר *obſidionis* parum convenit. Beth vero praemiſſum, eſt Beth eſſentiae, quemadmodum a Grammaticis vocari ſolet, quod Nominativo ad qualitatem rei vel perſonae indicandam praefigi ſolet.

ad verſ. 5.] Valde diſſentiunt interpretes cum antiquiores tum recentiores in explicando membro poſteriori hujus verſus: אַמְצָה לִי יֹשְׁבֵי יְרוּשָׁלַםִ בַּיהוָה

בַּיהוָה צְבָאוֹת אֱלֹהֵיהֶם Nempe quisque ſentit difficultatem in voce לִי cum haec verba ſint ducum Judae. Hinc multi interpretes duplicem Enallagen pronominis ad hanc difficultatem removendam in ſubſidium vocant, atque לִי pro לָנוּ et אֱלֹהֵיהֶם pro אֱלֹהֵינוּ dictum eſſe ſtatuunt: quam dure, quam coacte, opus non eſt ut dicam. *Oi ó* quidem et Syrus interpres לָנוּ videntur legiſſe, ſed in reliquis non habet eorum lectio, quo ſe magnopere commendet. Nempe *oi ó* habent: *εὑρήσομεν ἑαυτοῖς τοὺς κατοικοῦντας Ἱερουσαλὴμ ἐν κυρίῳ παντοκράτορι θεῷ αὐτῶν*, et Syrus: *Praevaluerunt nobis cives Hieroſolymae per dominum fortiſſimum Deum ſuum.* Illi igitur מָצָאנוּ לָנוּ legerunt, hic אָמְצוּ לָנוּ Ego quidem vix dubitem, quin Chaldaeus interpres veram nobis lectionem ſervarit: *Inventa eſt ſalus habitatoribus Hieroſolymae per verbum domini exercituum, Dei ipſorum.* Plane apparet, eum pro לִי יֹשְׁבֵי legiſſe לְיֹשְׁבֵי leviſſima mutatione facta, quae erroris originem docet. Nec tamen negandum eſt, hunc ſolum hujus lectionis eſſe auctorem, atque illud לִי eſſe ſatis antiquum. Aquila quidem idem legit: *καρτέρησόν μοι*, et Vulgatus: *confortentur mihi* etc.

ad verſ. 7.] Pro בָּרִאשֹׁנָה *oi ó*, Syrus et Vulgatus legerunt כְּבָרִאשֹׁנָה Melius, uti arbitror, propter coactas receptae lectionis interpretationes.

ad verſ. 10.] Mirabuntur fortaſſe quidam, me in hoc loco lectionem receptam eſſe ſecutum, neque praetuliſſe

tuliſſe eam, quam recentiores nonnulli Critici defendunt. *Kennicotius* quidem in Diſſertatt. II. pag. 522. pro אֵלַי legendum eſſe אֵלָיו ſtatuit, ex auctoritate duorum Codicum Erffortenſium, et Joannis Evangeliſtae, qui hoc vaticinium in morte Chriſti impletum eſſe dixit. Sed antequam de harum rationum valore diſpiciamus, dicam, quid me moverit, ut lectionem receptam ſequendam judicarem. Et primo quidem conſenſus omnium Codicum hebraeorum a recentioribus Criticis tanto cum ſtudio collatorum, in quorum nullo, ſi a duobus illis Erffortenſibus diſceſſeris, אליו legitur. Deinde omnes verſiones antiquae indicant lectionem אלי, et tandem haec lectio commodam admittit interpretationem, ſi modo Affixum tertiae perſonae in עָלָיו quod lectioni אֵלַי adverſari videtur, non de *perſona*, ſed de *re* explicatur, uti in verſione a me factum eſt: lugebunt pii illi Judaei, gratia Dei converſi, de facto illo turpiſſimo in Meſſia patrato. Quem hujus affixi uſum ſatis probavit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. Supra in *Amoſo* habuimus aliud hujus ſignificationis exemplum ſaepe repetitum לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ non avertam *illud* malum —— Praeterea quoque ex contexto argumentum peti poteſt non contemnendum, uti videtur. Verbum הִבִּיט ſemper de amore et fiducia dicitur, de ſpe, qua homines pii in precibus ſuis Deum intuentur, h. e. ſalutem atque auxilium ab eo expectant. Quid igitur fideles illi Judaei, de quibus in hoc loco ſermo eſt, lugerent עָלָיו de *eo* ſc. Meſſia interfecto, quem tamen

Digitized by Google

vivum cum ſpe et fiducia dicuntur intueri? Quis non ſentit *rem* eſſe intelligendam, quam lugeant, non *perſonam?*

Supereſt ut de lectione אֵלָיו dicam, quam *Kennicotius* l. c. defendit. Miror Virum Celeberrimum fidem duorum Codicum incertam praeferre tot ſuis Codicibus *antiquiſſimis*, *ſummi pretii aeſtimandis*, et quae aliae ſunt Codicum Oxonienſium laudes, ab eo diligenter excuſſis, quorum *nullus* habet lectionem אליו — — Joannis teſtimonium tam parum favet huic lectioni, ut potius ex eo novam lectionem exſculpere poſſis. Nam in verbis ejus: ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν nullum eſt indicium neque τοῦ אליו neque τοῦ אֵלַי. Si igitur ex verbis a Joanne citatis ad lectionem textus hebraei concludere velis, prorſus omittendum eſt אלי atque legendum הִבִּיטוּ אֵת אֲשֶׁר דָּקָרוּ. Quod fortaſſe verba *Hieronymi* innuunt, qui in Commentario ad h. l. haec habet: „Joannes autem Evangeliſta, qui de pectore Domini „hauſit ſapientiam, Hebraeus ex Hebraeis, quem Sal„vator amabat plurimum, non magnopere curavit, „quid graecae literae continerent, ſed *verbum interpre„tatus e verbo eſt, ut in Hebraeo legerat*, et tempore Do„minicae paſſionis dixit eſſe completum — — „ Quidquid ſit de verbis his *Hieronymi* ſatis obſcuris, negari non poteſt אלי ſalva caeterum ſententia abeſſe poſſe. Sed hoc non ſufficit ad verbum delendum, cujus interpretatio difficilior videatur. *Hubigantius* vero non dubitavit illud prorſus omittere in verſione ſua, quia tertia perſona ſequitur in voce עליו, quam dubitationem ſupra removimus.

ad

ad Cap. XIV, 5.] In verbo נסתם eſt varia lectio, cum Codicum hebraeorum, tum verſionum antiquarum ex diverſa ejus punctatione proveniens. Nempe legi poteſt נַסְתֶּם a נוּס, *fugietis*, atque haec lectio recepta eſt in pleraſque editiones impreſſas; habent praeterea eam Syrus et Vulgatus. Sed poteſt etiam legi נִסְתַּם, ut ſit a סתם, *obſtruetur*. Quae lectio plures teſtes habet, quam illa altera, primo Codicum, deinde etiam verſionum. Tertius ex Codicibus Erffortenſibus ad Biblia Halenſia collatis, duae Editiones Bombergii priores, Chaldaeus, LXX, Symmachus reliquique graeci interpretes; hi omnes vertunt *obſtruetur*, *ἐμφραχθήσεται*. Equidem hanc poſteriorem lectionem in verſione expreſſi propter conſenſum majorem, non propter ejus perſpicuitatem, quae, propter ipſius rei, de qua ſermo eſt, obſcuritatem, a neutra expectari poteſt.

ibid.] Pro עִמָּךְ legendum eſſe עִמּוֹ partim contextus docet, partim duorum Codicum a S. R. *Lilienthalio* collatorum teſtimonio omniumque verſionum antiquarum probari poteſt.

ad Cap. XIV, 6.] Male in textu impreſſo legitur יְקָרוֹת quod non ſolum ex ſignificatione vocabuli huic loco parum apta intelligitur, ſed etiam ex ſequenti quocum jungitur וְקִפָּאוֹן. Omnes interpretes antiquiores legerunt cum Vau וְקָרוֹת Symmachus praeterea, cujus verſionem integram habemus verſus ſexti et ſeptimi, aptam facit verborum hebraeorum connexionem, quam

quoque in verſione expreſſi. Ita vero habet Symmachus: *καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ οὐκ ἔσται φῶς, ἀλλὰ ψύχος καὶ πάγος. ἔσται μίαν ἡμέραν, ἥτις ἔγνωσται τῷ κυρίῳ, οὐχ ἡμέρα οὐδὲ νὺξ, ἀλλὰ ἔσται τὸ πρὸς ἑσπέραν φῶς.*

ad Cap. XIV, 10.] Legendum eſſe מִמִּגְרַל membrorum oppoſitio docet; ita etiam Chaldaeus et Syrus legerunt.

NOTAE CRITICAE
IN
MALACHIAM

Ad Cap. I, 9.] Difficilem admittit verbum וִיחָנֵנוּ explicationem. Mihi quidem non ſatisfaciunt interpretes, quando dicunt, prophetam per *κοινωνίαν* ſe aeque ac populum in culpa eſſe fateri. Nam difficultas in eo eſt, quod Deus in toto hoc loco loquatur, (nomine ipſo pro pronomine ex perpetuo dicendi more poſito,) nec niſi admodum coacte prius verſus membrum pro verbis prophetae, poſterius pro verbis Dei habeatur. Atque etiam antiquiores interpretes diſſentiunt in lectione hujus verbi; *οἱ ό* vertunt: *καὶ δεήθητε αὐτοῦ*, quaſi legiſſent הִתְחַנְּנוּהוּ; Vulgatus: *ut miſereatur veſtri.* Syrus et Chaldaeus cum recepta lectione conſentiunt.

ad verſ. 13.] Fateor me in lectione prioris membri ejusque interpretatione adhuc fluctuare: *Dicitis ecce!*

אותו

מַתְּלָאָה וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ Primo dicam, quid mihi de lectione recepta videatur, deinde de ea quae eſt antiquiorum interpretum.

Multi interpretes putant, vocem מתלאה populi eſſe conquerentis de moleſto admodum et fatigante cultu Levitico: *quae moleſtia!* Sed huic explicationi neque contextus favet, neque per ſe eſt probabilis. Igitur malim cum Celeb. *Venema* תלאה de dura et afflicta conditione populi intelligere, qua illo tempore premebatur, de qua Nehemias in precibus ſuis conqueritur, hac ipſa voce תלאה adhibita Cap. IX, 32, quam noſter propheta etiam non diſſimulat Cap. III, 9. Quod attinet ad ſequentia verba וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ, mihi quidem praeferenda videtur eorum explicatio, qui verbum נפח *flare*, *inflare*, tropice dictum putant, pro *deſpicere*, *contemnere*, atque אותו ad nomen Dei referunt, de quo etiam dictum eſt verſ. 12. מְחַלְּלִים אוֹתוֹ cui plane reſpondere videtur in verſ. 13. וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ *contemnitis illud nomen.* Nam poſterius membrum hujus verſus manifeſte rationem reddit, ex qua appareat, cur populus reprehendatur.

Verum enim vero in ejusmodi explicatione, quae duri aliquid et coacti habet, quod de hac receptae lectionis interpretatione, et multo magis de aliis aliorum, ex meo quidem ſenſu negari non poteſt, antiquiorum interpretum lectiones non videntur negligendae. Atqui *οἱ ό* et Syrus legerunt: הֵנָּה מִתְּלָאָה *ταῦτα ἐκ κακο-*

πα-

παθείας ἐςι — — הֲנָא מִן דווֹנָן הוּא Item Chaldaeus et Vulgatus, qui tamen הִנֵּה legerunt. Ille habet: *ecce, quod attulimus, ex labore noſtro eſt.* Hic: *ecce de labore* — — Deinde ſequentia verba וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ *οἱ ό* et Syrus legerunt in prima perſona וְהִפַּחְתִּי *καὶ ἐξεφύσησα αὐτὰ* — וְנִפְחֵת בֵּה *exſufflavi iſta* f. *in iſta* ſc. ſacrificia veſtra, quae ego repudio et rejicio cum contemtu — — Mihi quidem hae lectiones faciliores et contextui convenientiores, quam recepta, viſae ſunt, propterea eas in verſione expreſſi. Sed nolo contradicere, ſi quis vulgatam lectionem defendat, aut ejus meliorem explicationem afferat et faciliorem.

ad Cap. II, 5.] Affixum in אִתָּכֶם nullus interpretum antiquiorum legit. Poteſt abeſſe ſalvo ſenſu. Sed ſi quis defendere velit, non repugno. Poteſt enim pleonaſtice adjectum eſſe, et ad ſequentia pertinere, in quibus Levitarum officia enumerantur.

Corrigenda.

p. 38. lin. 4. molares, lege, prominentes. p. 72. lin. ult. XXVI lege, XX. p. 81. verſ. 4. de vobis proverbium erit — lege: carmen de vobis dicent. p. 82. verſ. 11. lege: ſi quis ventoſus et mendax hariolus. ibid. in nota b poſt, dicitur, adde Ezech. XIV, 15. p. 106. lin. 4. fortem, lege, crudelem. ibid. verſ. 8. equites ejus ſuperbia exultant, lege: ſuperbia exultant. Equites ejus veniunt. p. 188. poſt verba: ita Chaldaeus et Syrus legerunt — adde: qui etiam verbo ישׁן eandem, quam dixi, ſignificationem tribuerunt: *tota nocte protrahitur*, (ille מוֹרִיךְ hic שְׁתַק habet) *furor eorum.* p. 198. lin. 5. recepta, lege, receptae.

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

3620

3620